



XI, 4i.

41 255.







JOHANNES <sup>17.255</sup>  
DAUTH  
Senior,

JURECONSULTUS  
GERMANIÆ;

DEFUNCTUS,  
*auctore* *Blocio.*



ANNO

Gratiæ

M. DC. XXI. 2

die 28. August.

hor. 8. matut.

MAGDEBURGI,

---

Typis ANDREÆ BEZELL.

---

JOHANNES  
DAUHTH

Senior

JOHANNES DAUHTH

DEFFINGERS



die 22. August  
1802

GRANDPERRON

Typis Andree & Basset



VIRIS

*Clariss. Venerabilibus, Consultiss.<sup>mo</sup> Honoratiss.  
simis; Dn.*

JOHANNI DAUTH,  
Juniori U.J.D.

*Dn. Compatri Meccenati meo gratioso;  
Dn.*

LUDUICO DAUTH,  
Brunsvigæ Viro primario & Senatorio,  
*Dn.*

PAULO CELLARIO,  
Glorios.<sup>mi</sup> Capitul. Magdeburgici Secretario  
*Dn.*

SIGEFRIDO MAURITIO,  
Patricio Magdeb. primario; Colleg. S. Gangolf. &  
Beatæ Virginis sub Aula ArchiEpiscop. Canonico  
Basilicæ & sub Turribus Ecclesiæ Vicario;  
*Dn.*

JACOBO OLVENSTET,  
Patricio & Civi Magdeburg. primario:

*Dominis, Meccenatibus faventissimis:*

(2)

Magnæ

**M**AGNÆ Ma-

gnorum Virorum Vir-  
tutes jure magnis cele-  
brantur. Encomijs, ut  
Magnæ Divæ JUSTICIÆ magnopere  
satisfiat, & cuiq; suum ex merito  
magno tribuatur. Pindarus ergo

scitè monet : *Ὅταν καλά ἔρξας αἰδᾶς ἄτερ  
Εἰς αἶδα σαθρόν  
Ἀνὴρ ἰκῆται, κενεὰ πνεύσας,  
Ἐπορε μόχθῳ βραχύτι γερωνόν.*

Nimirum miserandus est homo  
dives, qui sine genuinis meretur hæ-  
redibus: Et Boni Viri, qui sine ju-  
stâ laude, mortem multò luctuosio-  
rem experiuntur. Proinde, quod  
Magni

Dauthij



# D. A U T H I I

maxima merita postulabant,

*Π. εὐὸν ὄρηιον μεγάλας ἀρεταῖς,*

præstitum illi, quod debitum fu-  
it: præstari sanè majus facto neces-  
sum erat, sed non respondit volun-  
tati propensæ potestas. Invidentiæ  
natura omnia pejus interpretatur.  
Fortassis & illud. Sed enim, Bo-  
num Factum! quod Livor, nec Vir-  
tus, nec DEUS noster est. Alioqui  
piscibus non pascuntur Syri; nec  
Honestatis exemplo maligni. Et  
ut Scythia non fert vinum; sic nec  
isti frugem, aut hujus æquam præ-  
dicationem. Boni verò *μετὰ προβασιανίς*  
Bonorum celebritatem promo-



vent optimorum instituta secuti.  
Fecerunt Hoc Dîj meliorum men-  
tium & majorum Gentium. Uti-  
nam autem, VESTER, se dignum  
Encomiastam habuisset! Inveni-  
et, spero, qui clariora nobis Famæ  
signa tanti Herois acclarasset. Inte-  
rea triviale præmetium Hoc, IN-  
CLYTI SENATUS autoritate conge-  
stum, & publicâ voce, solenni Do-  
CTORUM inadessu, proalamatum,  
VIRI AMPLISSIMI, benevolentissi-  
mè agnoscite, Et quia Natura  
generosior, vim storgarum peni-  
trantiorem agnoscit; nec ut a-  
ves, aut bruta, concitatum & quasi  
rapidum amorem simul exstinguit  
quando

quando dilectum amittitur: Quod  
Prudentes decet, ΔΑΥΤΗΙ ΜΕΙ  
perpetuo meminisse perseverate;  
sed lugere cessate. Nam illi, si illi,  
contigit Εὖ παθεῖν, εὖ ἀγέειν, ἀμφοτέρους, τυχεῖν.  
Et propterea vivet is monumen-  
tis ad posteros, dum Doctorem ho-  
stes in obscuritate sepulti, situ dete-  
rentur ignorantiae. Nimirum re-  
ctè meritorum tantum à morte  
beneficium & divitiæ sunt, Glo-  
ria comes Virtutum & Existima-  
tio. Et ad hoc litteræ sunt, ut

Ὅπιθ' ὀμβροῖον αὐχῆμα δόξας  
Ἄ' ποιχομένων ἀνδρῶν  
Δίαγαν μανύη  
Καὶ λογίοις ἢ αἰδοῖς:

Et

Et animi excelsi longam consecu-  
ti famam vitæ brevitatem gloriosè  
partâ prædicatione compensent.  
Beatus autem quem Bona Fama co-  
mitatur! Talis DAUTHIUS erat!  
Vos estis. Et ut post esse possitis,  
DEUM precor ut faxit! Ita mihi fa-  
vete! HAVETE!

V. A. R. G.

O.

JOHAN. BLOCIO.





<sup>1.</sup>  
Ene magnam in-

clytæ *Magdeburgæ* partem, & qui duplum vident, eos ex obitu *Viri Magni* lugere: nec tam externo vestium, quam animorum suspirijs & lacrymis abundè testari mœro-

rem, non jam nudè conjecturis assequimur, sed visa scimus: ut constet, quantus illos Dolor exulceret, qui tam necessarij luminis obscurationem, & post hanc, rei communis jacturam ingentem præsentunt. Nec esse, quod potius sequamur, sed magis cur vultum ex vultibus prudentium, animum ex seriò gementium animis mutuò sumentes simul immutemus, in hoc tristissimo casu conspirantes, non dubito, consilium illorum est, quorum erectus & amans est *Reipublicæ* Genius. Quid alij, quibus ad calamitatem *Viri Tanti* natura curtiolem ulnulam judicij & intellectus ad mensa fuit, sentiant; hoc sapientes ut morentur, nec unquam necessarium, nec honestum sanè fuerit. Si clarè, quæ sentiam dicenda sunt: *Johannes Dauth, Jureconsultus, Vixit! Vixit!* hoc est, vitæ suæ stationem strenue deseruit

A

seruit

seruit: sibi sanè gloriose & feliciter! sed multo-  
 rum còmodo multo temporius. Secutus est  
 quidem illam communem Nostræ Naturæ legem,  
 quam migrare cunctis nefas est: sed nondum  
 asecuti votorum finem sunt, qui publicarum  
 rerum spes & opes in illius pectore & ore sepeli-  
 verant. Non quod adeò ferreum hodie sit seculū,  
 in quo non aurea & argentea suppetant alibi  
*Consultorum Lumina*: sed nescio quo rerum hu-  
 manarum pacto fieri, ut priora tantiq̃ seculi &  
 experientiæ *Viri*, non nihil in cineres auferant,  
 quod à superstitibus in tempore sciri, aut saltem  
 à talibus recordari, cunctorum causâ, dici non  
 potest, quantum interfit. Et sæpe contigisse vidi,  
 rem forte seu morte ademptam votis humanis  
 omnium requiri, & ad quos pertinuit, ab illis  
 proprios rodi digitos, & magnum præoptari di-  
 scrimen, ut ijs aura vitalis rursus inspiretur, qui  
 si non Marte, duntaxat Arte, iuvarent. Fallor? an  
 illorum es Tu? Ter-palmaris Anima *Dautbii*?  
 Anima *Dautbii*; cujus usum & fructum profectò  
 amisit non una Respubl. non una provincia,  
 non unus Principum. Ne sit tamen cur Bascania  
 gaudeat, *Dautbium*, exhæredem esse Vitæ: nec  
 ut

ut lateat Bonos, quid à Defuncto sperent, Priscæ  
 Consuetudinis autoritas, & Venerandi Magi-  
 stratus Mandatum, impellunt me dicere, ut sit,  
 de quo isti sæviant, nostri sibi gratulentur. Tes-  
 tor autem ingenuè, me tam rudem esse litterar-  
 riæ gentis; tam profanum eruditionis; tam huius  
 artis, quæ Virorum Insignium Laudes dice-  
 re profitetur, expertem, ut nec Vestræ Ausculta-  
 tioni, Viri Magnifici, Amplissimi, Consultissi-  
 mi, Sapientissimi: Reverendi, Clarissimi, Ex-  
 cellentissimi, Eruditissimi; nec honorabili Pri-  
 scorum instituto; nec sanè *Dauthij* Vestri meri-  
 tis satisfacere possim. Itaq; me silere potius  
 jubet hæc, quam nostis, quam dixi, Infantia  
 mea; addo, censorum quoq; Varietas, in primis  
 autem magna *Dauthij* Virtus: sed enim prohi-  
 bet, spei vestra conceptæ contentio, & erectissi-  
 ma attentionis constantia. Macti igitur, mei  
 Domini, siquidem non fit aliter huic rationi,  
 quantum deficit Eloquentiæ meæ; tantum à Ve-  
 strâ mansuetudine meæ tenuitati tribuite; imò  
*Dauthio* Vestro, quem sic ob oculos reponam,  
 non quantum optastis, sed quantum Heroi tan-  
 to præstare potest mea nullis fulta præsi-  
 dijs imbecillitas.

Baldus, Audd. Legum & Iuris utriusq; pri-  
 marius Antistes, & cui cæteri ferè Pontificium  
 ascribunt, neminem in Iurisconsultorum Or-  
 dinem accensuisse dicitur, nisi qui sale gemino  
 venirent excellenter instructi; altero Scientiæ,  
 altero Conscientiæ. Quantum enim momenti  
 ad incedendum affert utraq; tibia, ut Galenus  
 loquitur; quantum Medico, Ratio & Experien-  
 tia; tantum ista duo Iureconsulto necessaria cen-  
 suit. *Scientiam*, quidem; ut pote sine quâ Iu-  
 risconsultus nihil esset, nisi de offâ hesterni ju-  
 risconsultus, aut (ut festivè Poëta alicubi dicit)  
 Iurisconsultus, hoc est, Insipidus. *Conscien-*  
*tiam* verò; sine quâ Iureperitus esset Iure perdi-  
 tus, hoc est, Diabolicus. Sanè; vellem Baldus  
 prodiret in vestrum conspectum, novam hono-  
 rum epomida *Jobanni Dautb* Iureconsulto sacra-  
 turus, ut tanto Viro satis amplum funus fie-  
 ret. Nos dum conamur tenues grandia, Lege  
 Baldinâ dicemus, *Dautbium*, hunc fuisse Ju-  
 reconsultum, merito Scientiæ & Conscientiæ:  
 seu Iurisperitorum Christianissimum, &  
 Christianorum Iurisperitissimum, ut Uldari-  
 cus Mordisius de magno illo *VVesembecio* pro-  
 nunciabat. Scientiam hujus felicissimi Dæ-  
 monij



monij ut consideremus, pueritiæ cortynam, & quæ de vitæ incunabulis dici solent, allevabimus.

Proinde, si Natio solumq; illud, in quo quis natus & alitus est, gratam incunabulorum memoriam vivis & defunctorum amicis ferre posset, ut auget interdum Decus, illa profectò non minus gloriosa *Dauthio Francia*, quàm *Donello Gallia*, *Sneide* v. *ucinio Thuringia*, *Antverpia* *Vvesenbecio*, alijs alia contigit. Honorem enim hunc Historici Veteres isti Terræ, quasi communi suffragio fatentes consecrant, dum passim *Franciam*, Terrarum Dominam, Gentem de toto mundo ad Dei servitium promptiorem, & fide Catholicâ firmiorem. Adeoq; *Francos* triumphatores Ordinum & Dominatores invictissimos: justiciâ pollentes, armorumq; industriâ ac militari robore cæteris excellentes: qui mortem magis pugnando, quàm fugam cum salute eligere didicerint; nominant. Et Poëtæ Veteri lanè — — Corda ferocia Francûm — & — Militibus dives Francia, memoratur. Originem autem hujusâ Francione Priami Regis Trojæ nepote derivant. Quid multis? Ut cuncta fasce con-

sttingam. A mundo condito ad nostrum secu-  
 lum (inquit Homo magnæ æstimationis) inter  
 tot regna, quæ hæctenus exstiterunt, nullum vis-  
 sum est, aut exstat, quod à suo initio, progressu,  
*Francicum* præcesserit: quamvis semel & iterum  
 ante paucos annos ab imminentis ruinæ cladis  
 & periculo sit ereptum. Nec hodie regnum ul-  
 lum Davidico in Judæâ similius visum est, quam  
*Francicum*, successionis & legitimæ devolutio-  
 nis respectu. Addo alterius suffragium: Fran-  
 conia Germaniæ cella penuaria & vinaria, po-  
 tus fortissimi, hypotheca Glycyrrizæ. Harum  
 aliquot laudum in participium etsi Gallia, Fran-  
 corum soboles, offerre se conetur, nihil tamen  
 antiquis Franciscis derogatur. *Hic ipsum legi velim*  
*Dautbium in De Testamentis p. 149.* Quod si igitur  
 Platoni preciosum visum fuit, agere Naturæ gras-  
 tias, quod in Græciâ, non Barbariâ natus esset,  
 cur non *Dautbium* gratularetur sibi *Franciam* tan-  
 lem; an *Franciam* se tantum ibi cœpisse. Quamvis  
 autem & multi primâ Felicitatis in parte ponant,  
 ortum esse celebri splendidaq; Republicâ vel  
 Emporio aut municipio nobilissimo, quale  
 quidem *Oxenfurtum*, Herbipolensis Episcopa-  
 tus

tus vel *Hoc Cive*, esse potest; maxima tamen inde plurimum est gloria, non ubi sint geniti, sed quales ibi sint in terram fati; sicut Aristotelis insignia non inde ducuntur, quod Stagiritas; nec Ciceronis, quod Arpinas; nec Julij sanè Caesaris, quod Romanus: sed quia sapientes & Virtutum claritate præpollentes, quisq; suum Natalem Locum pro copia magnificè clariorem præstiterint. Sic fortasse *Daubio* Patria lucem & Vitam contulit; æstimationem autem & famam debet: quod vel in Privatorum animis ab aliquot annorum serie suffixum hæret.

Exordium nativitatis sensumq; vitalem hausit ex stirpis ingenue Parentibus: quorum potioris sexus *Ludoicus Daub* Miltenbergâ oriundus Oxenfurti bonorum omnium consummatione præclarus Civis habuit. Et ex priori matrimonio duas Filias genuit: quarum prior *Anna*, Virginitatem illibatam prius ad Mortem præmaturam, quam se dignum Maritum, attulit: secunda *Margareta*, *Ferdinando Stadelmanno* conjugale foedus felicissimè panxit, par filiorum enixa, *Jobannem* & *Usvaldum Stadelmannos*; quorum natu grandior Patriæ Reipublicæ Senator

tor

tor optimus esse dicitur. Horum etiam in stirpe Stadelmanniâ series adeò proluxa crevit, ut eluvionem quasi fecerit ab uno fonte dignitatis amplissimæ; Postquam autem illa fidelis Gnatarum Mater, naturæ modum implerat, vitæ statione peractâ; *Ludoicus* instinctu cœlesti dedit animum *Magdalena Schwabia*; quam vitæ sociam secundis nuptijs pacisceretur. Erat *Magdalena* de Genere Nobili apud Herbipolenses, antiquâ stirpe decoratissimo Postremus Sarculus; quâ cum postea non tantum fideliter culta Virtutum exempla; sed insuper ex vetustâ domesticâ gloriâ capax generosi spiritus inclytorum *Schwabiorum* nobilitas, veterum amore cultuq; dignissimo, honore decenti Sepulturæ publico funere fuit elata. Genuerat *Magdalenam Hieronymus Schwabe*, Vir tantus, quantus ad seram Nobilitatem sufficit; tantò celebratior, quod fratrem habuisset natu majorem *Johannem Schwabe*, qui Majorum nobilitati superpondium nobiliter Litteras foeneratus fuit, Astrologus per omnem orbem famigeratissimus. Unde posthuma *Schwabie* stirpis existimatio, quam reliquerunt in Imaginibus & simulacris laudatam, vel marmoratis laudibus, in  
hunc

hunc diem in Capellâ D. Michaelis Archangeli  
 veneranda conspicitur. Hæc Mater, à Corneliâ  
 Romanâ, nisi nomine, nihil differens, quam  
 preciosissimos Ludoico Thesauros pepererit,  
 præfenti fide, non Nostra tantum Respublica  
 comperit. Uno nimirum sanguine & semine  
 procreati sunt, duo germanitatis nexu compe-  
 ctorati fratres *Hieronimus* ac *Johannes Dauthij*.  
 Post quos, cum thalami floriduli partum exi-  
 mia mater tertaret, *Barbaram* ex sequiori sexu  
 masculis annexuit, puellulam formæ dotibus  
 (præfiscini) splendidissimam; Amabilissimum  
 amœni Matrimonij trifolium / nisi Filiola præ-  
 properam huic folliculari Vitæ clausulam im-  
 ponens, intra Virginitatis tyrocinium, & ante  
 sumtam Matronalem Zonam in sua fata disces-  
 sisset. Sed benè! dum Vitæ numerum adole-  
 scentulæ demtum *Nestori* Nostro divina Beni-  
 gnitas clementer apposuit; nam ad majores usq;  
 & commoditates hoc *Dauthio* frui necessum e-  
 rat. Annus Nativitatis ejus incidit in sesquimil-  
 lesimum quartum supra quadragesimum Æræ  
 Christianæ; siquidem illius emortuali testimo-  
 nio benigna fides præstanda fuerit. Incidit igi-  
 tur in tempus illud periculosæ plenum alexæ,  
 B quo

quo Comitibus VVormatiensibus infectâ re solutis, Ratisbonensia Cæsar Carolus Quintus indiceret, ubi colloquium de Religionum controversiis decretum inchoaretur. Henricus etiam *Brunsvicensium* Dux Smalcaldici foederis amicis bellum luctuosum minatus, armisq; parùm gloriose expertus à Duce Saxoniae Mauritio & Hassiæ Landgravio caperetur. Sequabatur hinc Bellum Caroli cum Protestantibus nimis asperum & infelix: Concilium Tridentinum, Electoris Iohannis Friderici captivitas, D. Lutheri obitus, Sphyngis Augustanæ promulgatio, Bellum cum Bambergensi, Herbipolensi, & Noribergensi Episcopis, sub quibus tener hic *Daubius* cunabula, locum natalem, infantiam, & aërem in eadem tempestate rerum invenerat. Parentes igitur ejus, qui merito sobolis felicibus auspiciis propagatæ conceptam animis dulcedinem inclusam continebant, non Paternum tantum propagare nomen in his vitæ fructibus contenti; nec aviti saltem generis imaginem in dulcibus vinculi fidelis pignoribus, proprio Spiritu charioribus, proferre cupidi; nec infantiae blandimenta solum oculis & sinu foventes: sed etiam animos perfectis-

fectissimo spectandæ pietatis exemplo comple-  
 re, atq; in Dei filiorum jus transcribere, religio-  
 sissimo Spiritu tacti, iudabant: Virtutum et-  
 jam paternarum Orbem, ut in illis propagarent,  
 nihil prius, haut quicquam religiosius habe-  
 bant. Simul igitur *Johannes Dauth*, cum *Hiero-*  
*nymo* majori Fratere germano, annis adhuc in-  
 nocens, dimidiata verba tentando loquelis,  
 dulcis nonnihil offensantis linguæ fragmine,  
 vitæ necessitatumq; conditionem nondum  
 quidem explicans, sed fatens tamen, articulare  
 disceret; puerilibus adhuc balbutientum ani-  
 mis, elementa piæ Virtutis & officiosæ pietatis  
 imbuebantur: sicut cum infantili fletu statim  
 inter ubera matris solaretur Christianæ vitæ  
 desiderium, venerabilibusq; ad Deum verbulis  
 quasi suspirantiori voto fungi condoceretur.  
 Sed, nescio quo consilio, puerulos jam non de-  
 inceptis in cunis & crepundijs vagientes, sed ad  
 annum puerilitatis egressos Pater ad idiomatis  
 vernaculi & Geometricarum artium præmon-  
 stratorem amandaverit. Nisi, fortasse, Vete-  
 rum exemplo. Nam Eratosthenis & Hesiodi,  
 cæterorumq; consilio, Pueri minores septennio  
 non dabantur in litterarum ludos; quasi non  
 B 2 esset

esset illæ ætas prima tam felix, quæ disciplina-  
 rum intellectum capere laboremq; justum pati  
 posset. Et sanè, si rem verà lance putemus, hac  
 parte docentibus fastidium ingens adimitur;  
 qui dum aliàs prima docent elementa, tempus  
 in annos aliquot sine fructu conterunt, ut vi-  
 deatur aliquibus Annariam Legem in Scholas  
 esse revocandam, ut cum discretionè pueruli ad  
 ingeniorum palæstram & Scholas recipiantur;  
 nec admittantur subito domi corrupti pusiun-  
 culi; quorum curâ, molestijs & petulantia su-  
 pini Parentes se liberare; saxum autem hoc in-  
 Ludimagistros pro volvere, nimis imprudenter  
 præputant. Et ridiculam hinc aliqui consue-  
 tudinem hodie derivasse in se videntur, qui tri-  
 mulos aut quadrimulos pueros cum sororculis  
 prius in olidas anicularum Synagogulas ab-  
 dunt, ubi blandientium adulteratis poppyfris  
 adulatorijsq; susurris corrumpantur, nisi vel o-  
 mnifarijs malitiarum incrementis imbuantur,  
 quæ vel Herculis clavâ nemo homo pædagogi-  
 cus in posterum eventilet. Alij suos suos aut  
 porculos usquequaq; domi suffarcinatos ad vo-  
 lutabra nescio quæ Germanica propellunt, ubi  
 colluvies infantium & mucosorum sodalium  
 con-



cōfluit, quæ disprevit se ab ingenio cultu-  
 q̄ liberalium artium, nulli rei magis, nisi  
 lascivientis adolescentiæ pruritui. Qui,  
 quàm inconsultum prodant animum,  
 oculatissimi Gymnasiarchæ Sturmij, (quo  
 quid in hoc genere prudentius unquam  
 fuit?) esto iudicium. Excusavit autem hanc  
 pueritiæ fraudem illatam à Parentibus, in-  
 geniosus Dauthius; quia reprehensione care-  
 bant erubescendæ culpæ, Bellonæ, quæ tum  
 in Patriâ grassata fuit, violentiâ constricti. Sed  
 quid? Mirificus est *Deus* Noster in operibus;  
 ut Insperata, multò prævisa minus, sæpe con-  
 tingunt. Nec hominis viæ sunt viæ ejus.  
 Idq̄, quod nobis consultum ac provisum est;  
 in Dei perfectione nonnunquam ad scrupulum  
 quasi mirationis clavum affigit Nos; qui nun-  
 quam eo fine cogitatus terminassemus, uti  
 consideraveramus. Excellentioris ergo pru-  
 dentiae consilium apud *Jehovam*, est; id quod  
 Noster *Dauthius*, per omnem vitæ cursum rectè  
 mente complexus, cotidianis usurpare sermo-  
 nibus solebat. Quanquam enim, non improba-  
 bile *Dauthij* parentes consilium de Filijs fortasse  
 proposuissent; Credo, ut fit; Non omnes artis,  
 B 3 Maro

Martis etiam alumnos, & Mercurij, in Republica desiderari; nec ex meris Platonibus, Catonibus, ac Ciceronibus, sed Cincinnatis & Curtijs quoque constare Rempublicam; Et sane, quæ nunc tempora tam æruginosa sunt, quis non facile videt inventum iri plures, qui ad Palis, quàm Palladis officinam adeant? Nam si sic fit, ut hodie, quis in litteris ad litteras unquam durare possiet: Est, & erat tamen, prudentius rerum caput, columen, dispositor, & sospitator *Deus*, cujus suppositâ manu providentissimâque benignitate revocabantur ab instituto parentum intentiones: Et siquidem - *non res Error agit, sed Factum, & provida, mens est* - non fortuito factum censeo, ut ætate vitâque confectus Verbi *Dei* minister *Hammerus* quidam: qui *Dauthiolos* ad Baptismi Sacramentum consecraverat; cum in illis ingenium velut ex Auro, Memoriam ex Jaspide fictam esse perspexisset, *Ludovicum Dauth* maturo consilio juvaret: Nollet filijs intervertere Scholarum Linguæque Latinæ peritiam, in quâ plurimum utilitatis ad omnem vitam repositum esset. Continuo salutarem hujus Mystæ sententiam secutus, jam non trepidus aut anxius de filiorum fruge, Parens; de tractandarum & percipiendarum Linguarum ratione fidelis

ter

ter illis circumspexit : Nisi quod adhuc Pontificijs ceremonijs, mantelum Devotionis ferentibus, innutrientur. Majus opus in tam excellenti movit ingenio *Deus*, ut evidentius monumentum divinæ protectionis & gratiæ in hoc puerulo *Dauthio* vicini discerent: Per parum enim abfuit, ut junior hic *Dauth*, cum pedes parum prudenter in profluentem imponeret, turbidis aspectante Patre perijisset in Undis, præda voracis Neptuni futurus, nisi melior è cælo Raphael eum medijs sali vorticibus extractū, afflictissimæ matri reposuisset in gremium, matrum consueto calore recreandum. Hujus amplitudine miraculi, quàm sæpissimè in angustijs pro tibicine solatij per vitam extremam usus sit, illos testor, qui cum ipso familiariter vixerunt. *Esai. 43. v. 2.* solenne veriverbium illi erat: *Qui mecum transeunt per Aquam fuit, ne Fluminibus operiver, in illo Deo meo Glorior.* Nimirum Divinæ Providentiæ cura nunquam Hominibus defuit, *eleganter ait Ambrosius; & Agathias: Quæ Deo decreta sunt, nullatenus possunt prohiberi: Ergo, sine dubio Deum poenituit, ingenij magnitudinem & mentis egregiæ stricturam implantatam Dauthio sine comodo*

modo

modo multorum hominum Orbi Christiano  
 maturè nimis intervertere, cui nascenti de ta-  
 bellis cœlestibus Boni Genij vitæ numerosio-  
 ris ævum annumerassent. Non satis autem fu-  
 it, servatum in locis Neptunijs ab aquæ sævis  
 fluctibus septuennem *Dautbium* ex Mortis vicini-  
 niâ liberari: sed ut esset occasio magis admiran-  
 dæ protectionis, (prout Deus omnia humana  
 providentissimâ censurâ dispensat, ) prius  
 quam Mosis antiqui cujusdam æmulus minor  
*Dautbicus* plenus spei splendidissimæ adolesce-  
 ret, maturimè Pater *Ludoicus* optimâ sui parte  
 provolat ad parata piè Christianis ex vita cer-  
 tante illustria tropheorum spectacula. O mise-  
 ris dolorosum diem orphanis: quo spiritum a-  
 cerbitate luctus conturbatum, nubilâ teneræ  
 mentes moestitudine contabescebant, assumtis  
 lugentium sordibus & miserorum insignibus.  
 Postquam enim iste supremum vitæ diem exse-  
 cutus, ex hujus ævi fluctibus ad portum alterius  
 vitæ pervenisset, vix restabat alterum in rebus  
 humanis solatiū, secunda vitalis thesauri pars,  
 Mater; imò jam ipsa suffusa lachrymis, con-  
 tusa querimonijs, intimis sauciata præcordio-  
 rum medullis ac visceribus, in summo miseran-  
 darum

darum squalore viduarum; egens & ipsa laxa-  
 mentis ad confirmandum animum salutaribus;  
 utpote, quæ solem istum perdiderat, ad quem  
 frigus tenebrasq; dolorum sistere consuevisset.  
 Jam, inquam, ille defecerat, à quo solatium inu-  
 tuaretur filijs anxie plorantibus, affecta du-  
 plici damno, Mariti fidelis, & maturi consilij,  
 seu solatij. Posterius tamen nonnihil alleua-  
 re cogebatur, anxie cætera sui sollicita, cum videret  
 par fraterculorum certatim Eruditionis cu-  
 piditate flagrare, ut in literis darent operam sa-  
 tis fortem ac strenuam. Et sanè, quia cum  
 DEO manum moverent, fortunati conatus eor-  
 um & perpetuæ felicitatis fuerunt, ut parvâ  
 temporis interjectâ morulâ, necessariam erudi-  
 tionis supellectilem, qualem à benè constitutis  
 Gymnasijs ampliores studiorum Matres Acade-  
 miæ expectant, è ludo Patriæ *Lipsiam*, Do-  
 mum illam Veræ sapientiæ, cumq; vicinâ *VVil-  
 tebergâ* Totius Orbis Gymnasium, *Jobanne*  
*Dautb* Ephebulus cum *Hieronymo* Fratre feliciter  
 deportaret. Nec hîc sane *Dautbiana* Plan-  
 tæ in aliud solum transpositæ, torpuerunt lit-  
 teris, ad libros & chartas assidui, accubui; nec  
 septimanam solùm diebus appenderunt, sed  
 horas

horas singulas arbitrio clepsydræ dispunxerunt, quasi qui Templum Honori Virtutiq̃ consecratum pari passu nuncupatis votis peterent. Hic sanè vidissetis Audd. æmulatam ingeniorum dimicationem & Musarum parium conflictum in fratrum tam studiosissimo compare. O dulce spectaculum! ubi Phœbi morati milites, non luxuriæ, sed scientiæ cupidine; non immorigeri furorum jaculo, sed animorum & studij curriculo decertant, uter honorum ab eruditione palmam in medio positam præcipiat. Videbant igitur hi duo certatores in tam litterato pugillatu *Lipsiæ*, in conspectu præstantissimorum hominum acriter; discentes alacriter, quicquid in suavissimo Musarum contubernio contingerent. Et perrexissent in hac orbitâ diligentia pedibus perseverantia, ardore laudabili, difficilima scientiarum pervestigantes, si potuissent hilarem Fortunæ vultum, quem alij nonnunquam per abusum adulterant, experiri. Nacti etiam fuerant *Lipsiæ* Vitæ morumq̃ magistros, quorum excipue *M. Starckium*, quendam laudare solitus est Noster, qui docere scivisset ea, quæ convenirent ætatibus, ingenijs, & profectibus, sic ut nec præterirentur

neces-

necessaria, nec supervacanea monstrarentur, sed indoles optima recta duceretur ad Virtutem. Verum atrox studiosorum & litterarum familiae Noverca sibi sumit imperium in non ignobile *Dauthiorum*, par, invidens laboriosum simul & gloriosum Sapientiae commilitium, in illo sese vigilanter occupans, ut horum indoli Museas tempestive januas occluderet. Mater igitur domi scrupulose curam tristic, & intestini domesticiq; mali sollicitudinibus anxie distracta, domum retrahere filios vestigia postulat; fortassis, ut viduitatis ingratae stuporem allevaret illorum praesentiam. Sic redeunt ad lares patrios, postquam Lipsiae tertium semestre in Musarum pervigilijs impense consumsissent. *Homines nemesse Divorum pilas, ajunt: & temulentam insanamq; feminam (Fortunam puta) plerosq; quos in aere, habet, petulanter exercere.* Exemplum cur de Veteri Memoriae monumentis ac litteris ruminem & arcessam, haut video; Obvium est plenum dignitatis & autoritatis *Johannis Dauthij*. Nimirum huic Homini, dum grandesceret ad annos adolescentiae, pariterq; robor profectuum & aetatis eleganter faceret, illa varie perplexa rerum humanarum Vice-Domina plane minari videbatur, ut iniquitatem suam experiretur



tiretur, cum spem Musarum, quibus se natum esse credidisset, decollatum iri cerneret. Verum ut fit, dum ita flaccet, fulguritum & ambustum à Fortunæ radijs Adolescentuli pectus, melior & potentior Fortunæ Deus miseram ingenij conditionem detestatus, iterum velut è machinâ, recens auxilium anhelanti subijcit, faculam spei melioris anhelando. Et quoniam vividus hic Animus in Deo fiduciam studiorum affigens, salutaria subsidia collocaverat, fieri non potuit, ut contentionibus animi bene sperantis excideret, & non utiliter inveniret juventuti degundæ consilium. Offerebatur ei Musarum stipendium (quod vocant) ex Ochsenfurtenfis Ecclesiæ Cappella, quam ad D. Annæ cultus spectasse dicitur; ut hoc solaretur suas litteras; fore, ut rediret in illarum contubernium. Sed nec hinc Bonæ Scævæ fulsit aspectus, quin vetus intemperies horum proventuum etiam Adversarium excitaret, apudam quendam Pontificiæ Religionis, & quis sciebat quo natum inter mundio? à quo Dauthius fraudulentissimè tum expunctus est, nimirum quia se membrum Academiæ Lipsicæ; hoc est, Orthodoxæ Lutheranæ, sic ab Ecclesiæ Romanæ communionem directum esse se te.



se testaretur. Hæc improvisa repulsæ contumelia Audd. quantopere novum adolescentis cordi cruciamentum orphani inasciaverit, ipsi pensitate, si qui non oblitteratis cogitationibus exemplorum severitatem experti recensentes considerare potestis. Nimirum hoc illud erat: *Vexatio dat intellectum.* Imò hoc Tuum illud *Dautbio* tum esse poterat: *Per aspera ad astra.* Nam ex talibus continuis cruciatibus ac tormentis adolescentiæ, ex isto maturiore Crucis disciplinatu ad agnitionem veræ Lucis potentissima Tibi porta recludebatur: ut scires quod *Calamitas Virtutis* sit *Occasio*; quod *Pij* sint *DEI Arbores & Aromata*, quæ nonnunquam inciduntur & conteruntur, ut majorem fructum ferant & amœniorem odorem spirent. Verùm Audd negabat tum *Dautbio* Fortuna beneficium, quo dubitabat an ipsa melius attribuere posset: *Deus* autem *Technis* versipellis supplantari boloq; præverti permiserat, qui commodum locupletius ex *Æde D. Gangolfi* destinaverat. Nimirum *Jehovæ* consuetum est, ut plerumq; conturbet humana sperata, ne jactemus propria merita. Nec adeò clausit beneficentiæ ripas, ut speratis meliora derivare non

possit in hos, quos herbâ munificentia suæ pas-  
 scere constituit. Sed quid à Livore & Invidia tu-  
 tum est? Nam & hîc Popisticus iste supplantator  
 spurius, invidentiæ veneno suffusus, insidiosam  
 fallaciam opposuit, & opimâ tali præbendâ  
 (ut loquuntur) sibi commendatâ, strictio-  
 rem illam Lutherano *Dauthio* cessit. Ne quid  
 dissimulemus: tum temporis in Ecclesiâ fre-  
 quenti consuetis Ecclesiæ Romanæ ritibus con-  
 firmabatur in Clericum, cujus rei testimonium,  
 quid prohibet ut recitemus? Est autem illud,  
 quod audietis.

Nos Georgius Flachus, *Dei & Apostolicæ  
 Sedis Gratia Episcopus Salonensis, Ordinis sancti  
 Benedicti, Sacræ Theologiæ Doctor, Reveren-  
 dissimiq; in Christo Patris & Domini, Domini  
 Friderici, Episcopi Herbipolensis & Orientalis  
 Francia Ducis, in Pontificalibus Vicarius Gene-  
 ralis. Notum facimus universis, quod Anno Do-  
 mini M. D. LIX. pridie Kalend. Octobris in Civi-  
 tate Herbipoli, & ibidem in Monasterio Sancti Ja-  
 cobi, dilectum Johannem Dauth Ochsenfurtens-  
 sem, nobis legitimè presentatum, in Clericum jux-  
 ta præscriptum Sanctæ Matris, Ecclesiæ ritè or-  
 dinavi-*

dina vimus, coöperante nobis gratia Spiritus Sancti. Dantes eidem Johanni has literas sigilli nostri Pontificalis appensione in fidem omnium & singulorum premissorum tergotenus roboratas. Data loco, anno, & Die, quibus supra; Indictione .2.

Hujus Ordinationis quoties mentionem faciebat, non nunquam per sermonem iniecit, prædictum Episcopum, Virum alioqui gravem & excellentem, pro Confirmatione sui novi Clericatus sive status illi duo mandasse, quæ per omnem vitæ flexum salutariter observaret. Horum prius erat, uti nervos omnes ad liberalia studia indefessus contenderet; id quod se pro virili humanâ præstitisse sedulo gloriari poterat; Alterum, ut singulis diebus Psalmum quinquagesimum primum devotissime recitaret. Hæc quanto ei fuissent ex usu, latis eloqui non posse. Bonum igitur Episcopum nihil nisi Bonum ad Vitæ Canonem observandum imperasse. Sic igitur viaticatus, amicorum suasu, *Lipsiam*, ei fuit concitata reditio, ut annò Palladem à tergo relictam feliciter redauspicaret. Episcopus Herbipolensium, Franconia Dux *Fridericus à Virsberg* sponte suâ iussit, ut

fit, ut ingeniosissimo adolescenti *Dautbio* sti-  
 pendium literarium sine morâ prorogaretur,  
 quantumvis cum *Diviculis Romuli* nepotibus  
 non faceret. Quid censeatis *Audd.*? *Quod*  
*Bethla, non dat, Oriens dare, cogitur* Ita li-  
 quidioribus auspicijs ad *Lipsenses* hîc redux,  
 vim industriæ *Veteris* pertinaciter instaurat,  
 ut operis impensioribus interrupta telæ stami-  
 na per omnes industriæ nervos concinnaret &  
 conficeret. Hic manibus, pedibus omnibus,  
 remis velisq; patentibus tollens anchoras, tala-  
 ria nectens, solvens oram, velificabatur: ad *Cy-*  
*nosuram Aristophanis, & Cleanthis* lucernam  
 evigilabat, instar gruum lapides deglutientium  
 elucubrabat, vigilantissimâ devotione nitens,  
 nihil dans loci segnitix atq; vecordix: sed ho-  
 ras incitatiores diligentia, labore menses annos  
 industriâ æquabat; singula dierum, imò nocti-  
 um vestigia, singula cujusq; puncta & momenta  
 temporis alacriore animo dispensabat, ut in-  
 dustrix numine & incredibili pernicitate per-  
 tingens eventum de se fiducia, nec alios, nec se-  
 ipsum deciperet, Valetudinis magis, quàm  
 Temporis prodigus. Sanè quoties insomni-  
 um horarum triginta contiguâ serie inter li-  
 bros

bros profundis in meditationibus affederit, cumq; vix ad horas sex somnum immisisset oculis, quasi crepulascentibus horis & adolescente die statim soporem exulatum ire iusserit, Lipsia Testis loquetur. Non impediri vilus est, nocentissimâ frigoris inclementiâ, quæ tamen veluti pubescentes herbulas, sic indolem nonnunquam adurit & interficit; nec fatigari se passus est, nullâ Syrii solis exardentissimâ flammâ, quæ nonnunquam hospitatoribus inertie conatum ingenij prohibere perhibetur: nullum ullius molestiæ tædium illi tantum injici potuit, quod ab incepti consilio reprimere. Orarum hodie ingenium! Orarum igitur Eruditorum hominum incrementum! Disciplina Sapientiæ non est, nisi à vigore continentis Diligentie. Hanc qui calidè satis & intentè non habet, sed remulo saltim, non etiam velificatione plenâ vehitur, in Eruditionis altum, quid mirum? si Musæ talem inertie stipendiarium furcis abigunt exulatum à sese: De *Dautbio* explorata Fidei Veritas Famæ gloriosum præconium in Patriam pertulit. *Georgius* enim *Lucius*, qui *Lipsie* commensalis fuerat, ubi redisset ad patrios penates, familiaribus indicabat

D

cabat

cabat seriò pertinacissimam ad literarum studia  
*Dautbii* vigilantiam, quæ nisi cohiberetur ami-  
 corum disuasû, brevi semoto mentis ulu cate-  
 nis fore constringendum. Propterea Patriæ  
 Patrum & privatorum publicis familiaribusq;  
 literis noster admoneri, salutaribusq; monitis  
 ad provectioris ævi consilia confirmari. Ha-  
 beamus in commune, quod in orbem genitus  
 es. *Moderata Durant.* Non tibi natus es, *Dau-*  
*tbi Noster*: ætatem cogita; ut in plurimum usum  
 & fructum sis. *Arcum intentiorumpit.* Co-  
 hortationes profectò sapientissimi consilij, &  
 amicissimæ voluntatis plenæ. Ille verò facere  
 pro sapientiæ copiâ, quæ semel statuisset, perin-  
 de ac Testamento cautum esset, immutabilia  
 sanctè servabat; Promptum ac facilem se monitis  
 in alio præstiturum, hîc præscriptarum ab Indus-  
 triâ legum sanctitatem violare non videri. Mi-  
 litem in statione, studiosum hominem inter li-  
 bros mori fore pulchrum & Deo gratiosum. Hoc  
 pacto non omnino frustratorijs auribus bene-  
 volentium stimulos assumebat gratisimâ præ-  
 dicatione ruminans: Honorem tamen etiam in-  
 genio proprio confidenter habebat, ut hinc  
 quocq; lumeret normam examinis. Ita divinâ  
 suffragatione factum est, ut pertinaci vigilan-

tia morum & doctrinæ Censoribus ejus loci ac  
 cutissimis parvulo temporis interjectu primam  
 Lauream cum honoratissimis Reifelissimè ge-  
 stæ præconijs amplissimè publicitus demereret.  
 Annum hunc Æra Christiana numerabat ses-  
 quimillesimum, & quartum supra sexagesimum,  
 sub æquinoctium vernalium, cum sisteretur ab Am-  
 plissimæ Philosophicæ Facultatis spectabili  
 Decano, M. *Balthasaro Gutlero*, Examinatoribus  
 M. *Donato Zolner*, M. *Maximo Göritz*, M. *Leo-  
 onharto Lycio*, M. *Laurentio Rulich*: & com-  
 petitores quidem hujus dignitatis tum nactus  
 erat *Simonem Behem Lipsensem*, *Johannem  
 Rauch Lipsensem*, *Valerianum Pulsium Hanen-  
 sem*, *Matthiam Ietschelium Sangerhufanum*, *Io-  
 hannem Limmerum Lucensem*, *Bartholomeum  
 Seliger Zittaviensem*, *Gallum Schultes Naum-  
 burgensem*, *Simonem Leusker Lucensem*: om-  
 nes Eruditione conspicuos, & deinceps ad in-  
 signia munera provectos; quorum à postremo  
 quartus proximis hinc annis *Iohannes Limme-  
 rus Lucensis juris utriusq; Doctor & publicus  
 Pandectarum in gloriosissimâ VVitebergenfi  
 Pandorâ juris & omnigenæ Salutis, honoratis-  
 simè vixit. Neq; verò contenti rerum humana-  
 rum publici Dictatores splendorem hunc *Daus**

*hic* majora merenti contulisse, M. Hieronymus  
 Zyanus, M. Georgius Masbachius M. Erasmus  
 Kirstenius, M. Laurentius Rulichius, per Deca-  
 num Excellentissimum M. Fabianum Sommer  
 ex Thermis Caroli IV. Magistralem Lauream  
 ultrò destinarunt ut ampliorem in lucem eum  
 sisterent. Et competitores quidem hujus Ordini-  
 nis Viros in primis claros clarissimo apposue-  
 runt, Martinum Benderum Toronensem, Do-  
 natum Hofmannum VVurzensem. Petrum  
 Horn VVeissenfelsensem, Georgium Flosculum  
 Kittingensem, Andream Scheffer Gemunden-  
 sem, Georgium Rösnerum Falckenburgium, Jo-  
 hannem Neblthau Snebergensem. Ex illis  
 prodibat jam *Johannes Dauth* Anno Christianæ  
 Salutis M. D. LXIV. Magister Artium, hoc est,  
 Philosophiæ consultissimus, linguarum litera-  
 turâ & partibus ad Veri Fidem munitissimus:  
 qui præterea felici sidere cogitatus & actiones  
 ad Theologiam collineans rerum divinarum sci-  
 entiâ non leviter tinctus esset sed imbutus ple-  
 nissimè. Recipiebatur igitur ab omnibus cum  
 honorificâ veneratione, inter preciosam omni-  
 um admirationem conspectus: præsertim quod  
 honorum incrementum nihil industriæ Veteri  
 derogaret, sed publicum Magisterij decus &

brabe-



brabeum illi stimulus esse dignitatum videtur respectum ad ampliorem.

Catena Beneficij Literarij quod ante triennium impetraverat, alligarat eum percipiendæ sacrorum disciplinæ: in quâ palæstrâ dum aliquid quoad non sine laude nomen esset professus, & tamen necessariam naturæ propensionem ad hoc studium sibi deesse sentiret, retrahens pedem ab isto, non temerè, nec inconsultò tamen, immergit se ad sacrosancta Tempia *Jurisprudentiæ*, quæ non minus ad humani Generis conjunctionem & æquabilitatem instituta videretur. Et sanè non hinc decerat exemplorum illustris ulla Dignitas. Nam & *Balaus* Medicorum Scholas teste *Francisc. Bonnæos de Ratione descend.* in juventute deserens ad *Jurisprudentiæ* castra se transferiit ad quam quia natus erat, tam brevi progressus fecit, ut cum *Bartolo* de *Jurisperitissimorum* Monarchatu decertaverit. Non igitur in hoc quoque saluberrimo studio *Dauthium* indoles defecit, & vigilantia, ac laboris assiduitas. Propterea cum olim audisset, instituto Veterum oportere, *Juris Studiosum* nates habere plumbeas, & esse *χαλκέντερον*, instar *Alexandrini Didymi*; protelo perpetuo studium

D 3

ardens

ardens & diligentia constantiam ei rei secum attulit, ad Scientia novitatem omni animo summâq; cogitatione intentissimus. Ita facilis us indies ab omnibus amorem sibi concilians, possedit favorem non vagæ plebis cum invidiâ, sed Eruditissimorum cum applausu maximo.

Præceptoribus tum temporis usus est, & industria suæ gravissimis Ephoris, Iureconsultis eminentissimis, Modestino Pistorio (quem Nobilissimus Ioachimus de Beust pari jure gratissimaq; prædicatione prosequitur) Petro Loriotto Gallo, Uldarico Mordisio, Leonardo Bادهornio & præcipue, de quo publicè gratulabatur sibi, Henningo Hamelio, post Academicam professionem Administratoris Magdeburg. Primatis Germaniæ &c. Cancellario. Horum insigni propensissimoq; manudu fructus parvulo temporis intervallo *Viris alibi Magnis* auxit amplius ingentē expectationem ingenij, ut maturimè mereretur illorū Nomenclatore expungi, quos alicubi D. Iustinianus more Veterū Dupondios appellitat. Nec minus ejus spectata solertia, famæ celebritatem illi peperit apud exteros. Unde commotus Leonhardus Bادهhorn I.V.D. animi Vir maximi & altissimi consilij, Legum in Academia Lipsensi Professor, Electora

23.

Etoralis supremæ Curix assessor, & de Civitate  
Lipsensi singulariè meritus Consul, bono præ-  
senti carere nequaquam voluit. Erant ei duo fi-  
lij, *Johannes & Sigismundus* Badehornij; quos cum  
à primo statim lacte ad delicatissimas Them-  
idos epulas, normamq; vivendi jucundio-  
rem, & fastigium Virtutis amplexandum educari de-  
crevisset, *Dautbio* liberalem operam dedit, ut his  
lumen ad Juris prudentiam, in quâ ipse claresce-  
ret, præferre dignaretur, pariter utilissima di-  
scere desiderantibus, & flagitantibus scientiæ  
præfiscini desiderio sibi ad disciplinæ gravitatē  
& virtutes monumenta componi. Non erat in  
istis tum adolescentibus monstrosa cupiditas,  
(quæ nonnullos in aere pendentibus juvenum a-  
nimos alibi afflat) ut exemplis & fufurris aut ma-  
litiosorum ad voluptatem, aut inertium & frau-  
dulentorum ad vanitatem novitatum, & hinc  
ad gravitatem exitij, à tam *Reio* Ductore se pate-  
rentur avelli. Quale fluctuationis argumentum  
in excellenti nonnunquam ingenio conspectū  
fuit; credo ut sit, cum animis adhuc pueriliter  
juvenamur. Perhibetur alicubi *Paulus Scali-*  
*chius*, Vir magnus & antiquo genere Comi-  
tum ortus, ingeniosus, acutus & insignitè do-  
ctus, omnium scientiarum exiguo tempore  
per-

perfectè docere alios incredibili quadam artis  
 methòdo se posse gloriatum esse, cui nonnulli  
 excellentis homines judicij se discipulos cum  
 præbuisissent, Comitibus hujus, ut & aliorum eor  
 dem temporis articulo, fumo levisfimo & insa  
 nâ jaçtantiâ deceptos abiisse. Talibus autem  
 exemplis & præposteris consilijs, ut à plano  
 campo ducerentur in avia, meliore viâ *Dautbuis*  
 cavit *Badebornijs*; quos ad Salutis & Virtutis  
 Templum publicâ via directos *Ducente Deo* cla  
 rissimos in Examine quodam Iureconsultissi  
 morum poscente Patre *Badebornio* sistens, non  
 tantùm duos auroargenteos calices (qui testan  
 tur adhuc) sed nunquam morituram sibi lau  
 dem ab illis jam tum pepererat. Quid? quod  
 eodem die Fratres ambo *Juris Utriusq; Doctores*  
 pronunciarum publicè fecit: sic ut Prior natu suc  
 cessu temporum inter primores Electoralis Au  
 læ Saxonicæ *Divi Augusti, Christiani Primi, Fri  
 derici Administratoris, &c.* Consiliarios recensi  
 tus, donatus etiam ab Imperatore Nobilitatis  
 insignibus, non solum rerum maximarum ne  
 gocijs ac deliberationibus, sed Comitibus etiam  
 Imperialibus, Commisionibus, & alijs Lega  
 tionibus utiliter interfuerit, cui rei sunt opti  
 mi te

mi testes & omnium certissimi autores *Recessus Imperiales*. Nec minus *Alter, Sigismundus* inquam, dignitatibus augmentatus & clarus potestatibus ad *Gloriam expeditâ viâ compendiarioq;*, quem à *Beato Dautbio* nostro didicerat, tramite pervenit ad *Summam*, videlicet non indignus aditu *Curia Electoralis, Reipublicæq; Lipsiensis Consulatu* censitus. O quàm felix *Arbor Dautbia*, fructus felices fecit *Badebornios*; quorum honos & odor implevit & nobilitavit orbem *Germanum*, & tanti *Præceptoris* famam in *æviternitatis memoriam* amplissimè disseminavit. Præter hos autem quotidie stipabatur *Auditorijs Dautbii* exquisitissimis, qui discere ab ipso cuperent: quorum causâ coactus est aperire *Collegia Nobilissimorum hominum* non semel, quibus ex *plebeis Scientiarum cupitores* annumerari desiderabant. His autem, indefessus & largus operæ *Dautbii*, singulo die quâ *Juris* quâ *Philosophiæ* scientias tres = quatuor distinctissimas lectiones habuit impensissimè. Non autem hæsit in *speculationibus ambulatorijs*, quæ nulli rei sunt, nisi proferantur in *lucem*; sed indefessæ thesaurum solertiæ de *pluteis theoreticis* tempe-

E

stivè

stivè prodigebat in Praxin, quam olim Baldus  
 Scientiam Legum Digestivam appellaverat :  
 non tamen ex illâ sectâ prodiens, qui profiliunt  
 in Rempubicam, antequam illam cognove-  
 rint. Quid multis? *Doutbio* jam successus adeo  
 se fortunatus appronavit, ut exciti tanti Viri  
 Famâ florentissimi juxta ac præpotentissimi  
*Brunsvicenses* hunc plenum non annis, sed anie-  
 mis & consilio Nestorem *Lipsiz* evocarent in Se-  
 natum Consiliarium, quem appellant Judicem  
 aut Syndicum. Æquabat autem hoc etiam loci  
 Virtutis ac Honorum jûgum æquè solenniter,  
 ut omnium Ordinum promereret non superfo-  
 raneam gratiam, & ipsi deesse nihil diceretur  
 nisi commune gloriosum nomen ac Titulus *in*  
*Omni Jure Doctoris*. Hunc verò licet adsperna-  
 retur ipsi innata demissio & humilitas nimiam  
 tamen extenuationem sæpe damnosam fuisse  
 amici suggerentes, evicerunt, ut *Lipsiam* alteram  
 Matrem suam excurrans, propter acumen admi-  
 randum jâdicij, insignia *Juris utriusq[ue] Doctoris*  
 in publicâ & solennissimâ renunciatione susci-  
 peret. Non possum, quin hîc iterem glorio-  
 sum Syncharma præclarissimi Viri, *Jacobi*  
*Stras*

*Strasburgij, quo nostrum Doctræ Candidatum honorificentissimè præ alijs excepit:*

*Te verò varijs Naturæ dotibus ingens,  
 Quaq; per ingenium polles ingentior arte  
 Utiliorq; alijs, Johannes Dauthe, juvandis,  
 Quam Tibi pacis amans placidæ, sed amantior æqui,  
 Te quibus excipiam prima intervalla sequentem  
 Laudibus? Unde Tuæ referens præconia Famæ  
 Ordinar ad teneros olim ventura nepotes?  
 Tu mihi pœnè puer notus, cum sæpe probarem  
 Indolis egregium vultu prodente vigorem,  
 Te quondam fatis opera ad majora vocantem;  
 Sive pudor, primos qui semper amabilis annos,  
 Seu probitas laudanda venit, candorq; benignus  
 Et sincera Fides, animi nota prima Virilis,  
 Omne Tibi memini transactum puriter ævum,  
 Vitaq; labe carens, quocunq; sub Ordine, semper  
 Irreprehensa tua est, metuit nec ab hoste notari.*

*Quæ Tua, cum primas olim percurreret artes  
 Sedulitas fuerit, non est opus indice facti.*

*Qualis enim Formica memor brumæq; famisq;  
 Itq; reditq; frequens, messes æstate per omnes*

Et tenui trahit ore cibum tumulisq; reponit;  
 Aut ut apes circa flores & olentia passim  
 Gramina, continuis operosa laboribus instat:  
 Sic tuus ardor erat, quo nunc pulcerrima Vatum,  
 Nunc Oratorum, nunc ampla Volumina Juris  
 Parcior ad somnum, manibusq; animoq; terebas;  
 Unde tibi viridi tandem maturior ævo  
 Cognitio, graviumq; foret prudentia rerum,  
 Quam Duce Naturâ docet Ars & perficit Usus.  
 Singula quin Legum cerebro sudante notabas  
 Verba, prius cautè numerans, quàm tradita menti  
 Ad certas causas servanda reponere velles.  
 Hinc ea dexteritas & tanta Scientia parvo  
 Tempore parta, tibi Juveni, quæ sæpe peritos  
 Destituit doctosq; senes: hinc illa tuenda  
 Cui servis tecumq; alij feliciter Urbis  
 Inculpata Fides. Salve! Brunsviga potentis  
 Damnantisq; jugum Regnatricis inclyta Plebis,  
 Floreat, & Tecum felix Respublica duret!  
 Quæq; dies toti ventura est ultima Mundo,  
 Sit quoq; summa tuis quibus es circumdata Muris:  
 Cresce, precor, Generosa Viris, Veneranda Senatu,  
 Nec tam vallatis altè per mœnia structis  
 Turribus, aut armis varijs populog; frequenti  
 Quàm



*Quàm firmis Legum septis munita, resiste  
Hostibus: utq; diu possis gaudere, probatis  
Utere consilijs. Non Vir, Numerusq; sed Urbes  
Fus munit, Leges cōhibent, Sapiencia seruat.*

Obsecro Vos Audd. ubi nunc estis? quid ar-  
bitramini in tantas tam augustissimas unius  
præconij laudes; quas etsi procarentur alij Iuris  
prolytæ, Decoris symmystæ, *Johannes Andrea  
Pirnensis, Andreas Scheffer Gemündensis, Mi-  
chael VVirth Leobergensis, Huldericus Meier Li-  
psiensis*; hæc tamen illustrissima Dignitas a-  
pud solum *Dauthium* hospitabatur meritissi-  
mum. O vero divini Numinis admirabile Con-  
siliium in evehendo *Dauthio*! qui seipso semper  
evadebat melior *Virtute Duce*, & quamvis non  
nunquam *Comite Cruce*, *Pedissequâ tamen Gloria*.  
At tu *Fortuna* ilicet nunc! *Sapientia Victrix* est;  
Ergo submitte te pedibus *Hominum excellen-  
tium*, & cave sis triumphos ante *Victoriam*.  
Nam reliquum undecennij tempus Iuris jam  
hic ferè secundus *Jason* eminent exegit in illo  
*Germanæ Fortitudinis amphitheatro Brunsvi-  
gæ*; cum maximo populosisimæ *Gentis* commo-  
do, & indicibili *Vicinorum* incremento, hoc  
est,

est, feliciter æquè ac laudatissimè! nisi quod  
 assiduis in iuventute vigilijs ac lucubrationi-  
 bus emaceratum corpus, valetudine passim an-  
 cipiti conflictari inciperet annis & usu prove-  
 ctior. Hinc, quoniam sensim vitâ frueretur non  
 aliter nisi fere per umbram, morbulis haut me-  
 diocriter extritus, maturare invitam discesio-  
 nem, Medicorum placita exactè considerando,  
 & diversum aeris potius spacium experiri, quam  
 Munificentissimorum suorum *Brunsvicensium*  
 exspectationes & commoda morte decipere de-  
 mum constituit: & ut magis absentes firmitate  
 consiliorum suffulciret, quam inexpectatâ vi-  
 tæ ruinâ desorptus etiam voto proprio maturi-  
 us desertum iret. Audiamus hîc tantum non è  
 tumulo *Dautbium*, censeo: Quum annò supra  
 millesimum, quingentesimum, septuagesimo  
 quarto ab amplissimo ordine Vestro, *Brunsvi-  
 censes*, ex Academiâ vocatus, ut cum Clarissimo  
 Collega, Dn. Doctore *Johanne Rosbeccio*, Syndi-  
 ci, id est, Judicis in auditorio vestro & advocati  
 pro Republicâ, atq; Consiliarij munere perfun-  
 gerer, eo in officio, non modò vivente Collegâ,  
 sed illo etiam piè defuncto, omnium apud Vos  
 Ordinum, majorum scilicet, mediocrium, & in-  
 fimo.

32.  
fimorum, summam benevolentiam expertus es-  
sem; domicilio in civitate vestra, ad extremum  
usq; vitæ halitum constituendo: curam cogita-  
tionemq; suscepi; Collega præsertim fidissimo,  
qui jam extremum decumberet. in id unice, & om-  
nibus modis intento, ut & mihi illud ipsum  
persuaderet: amplissimo Ordini ratione, qua E-  
go Reipublicæ Vestræ perp tuo, & d Vitam, ob-  
stringi commode possem, demonstratâ. Verum,  
longe aliam, & ab instituto meo toto quod dici-  
tur cœlo discrepantem, fata invenere viam, Ego  
enim, qui aliquot ante Collegam annis, cum Va-  
letudine incommodiore conflictari cœperam,  
illoq; anni totius spacio graviter decumbente,  
& deinde mortuo per integrum triennium, va-  
letudinis non usq; adeo magnâ ratione habitâ  
immediatis oneris difficultatibus, non tam preme-  
rer quàm opprimerer solus penè, in eam demum  
calamitatem temporis illius injuriâ, per aliorum  
& meam ipsius imprudentiam ineidi, ut in ægro  
& afflicto corpore meo, cibi potusq; omnis appe-  
tentia desineret, & viribus sensim dilabentibus,  
ego omnem de valetudine recuperandâ spem  
omnino deponerem. Ne tamen in illo quasi ul-  
timo rerum articulo, mihi ipsi deessem, bonorū  
hominū suasu, de conditionis lociq; mutatione  
cogitare

cogitare coepi: ut siue aliquid humanitus mihi  
 accideret, res meæ in statu essent, mihi & omni-  
 bus pijs exoptatissimo: siue aliqua, ex aëris lo-  
 ciq; commoditate, prioris sanitatis spes afful-  
 geret, præclarè & laudabiliter tractandis, & ocio  
 dederem Philosophico: ad quod naturâ ipsâ  
 duce â primis aspiraveram incunabulis. Nam  
 & præstantissimos in orbe Viros, necessarijs  
 aut honestis de causis, à Reipubl. administra-  
 tione, ad Vitam contemplatricem regressos,  
 multisq; illorum, curriculum prædestinatione  
 divinâ, in circulum quodammodo redijsse scie-  
 bam. &c. Hisce ego exemplis in illo rerum di-  
 scrimine, animum meum tunc nutantem, ful-  
 cire atq; obfirmare studui. Etsi autem amplissi-  
 mus Ordo senatorius, ubi de consilio meo cer-  
 tior factus est, pluries peramicè mecum egit, ut  
 à propositâ sententiâ dimoverer: tamen ubi fi-  
 xum in animo stare propositum intellexit, me  
 non tantùm honestissimo testimonio orna-  
 tum, sed & amplissimo instructum honorario  
 benignè dimisit. Quo tempore Northusium,  
 Imperij Civitatem, cum familiâ sum profectus:  
 ubi aërem saluberrimum, & à vicinâ quadam  
 civitate, cui per multos annos studium meum,  
 in

in arduis quibusdam & gravibus causis impenderam, medicum nactus idoneum, anni unius spacio ita respirare coepi, ut de valitudine commodiore exultarem totus, eamq; loci oportunitatem, cum Libertate, bono, illâ præsertim tempestate, plane inæstimabili, conjunctam, cum multorum splendore & opibus maximis permutare minimè cuperem. Quare repudiatis functionibus honestissimis, quæ à Principibus, Scholis, & Rebus publicis ad me deferrentur, paucis quibusdam apud summum Imperij tribunal negocijs, & de jure interrogantibus vacabam. &c. Dum in hoc ocio meo Philosophico Deorum vitam vivo, Illustriss. tunc Saxoniae Elect. Christianus &c. Dominus meus Clementissimus, felicitis recordationis, à me postulavit, ut munus Assessoris in supremâ Curiâ Elect. Saxon. cum Professione Juris in Academiâ obire vellem. Etsi autem, Scholam illam, ut matrem venerandam semper ardentè dilexeram: tamen quod existimarem, facile alios functionibus illis idoneos reperiri posse homines, imbecillioris valetudinis respectu, quæ muneribus illis suffectura minimè esset, me pluries,

F

quan-

quanta omnino fieri potuit animi demissione  
 excufavi. Tandem post multos ultra citraque  
 transactiones Dominus meus Clementissimus,  
 nihil aliud postulavit, quam ut ratione vale-  
 tudinis habitâ, Juris tantum Professioni in A-  
 cademiâ Lipsensi vacarem: Officio autem Af-  
 fessoris, alijsque negocijs, minime implicarer: con-  
 ditionem, igitur, quam salvâ conscientia por-  
 ro recusare non possem, pro honore Principis  
 & Scholæ, cui me multum debere sciebam, &  
 Candidatorum Juris utilitate, amplexus sum.  
 Officium autem, diligentiam mediocri tantisper  
 in eâ Academiâ feci, donec admiranda DEI  
 providentiâ, integro triennio exacto, in illo  
 pœnè, quo cum omni familiâ in urbem vene-  
 ram, temporis articulo functioni illi rursus va-  
 ledicerem. Nam quod in functione Syndica-  
 tus Vestri & ocio illo meo Northusano didice-  
 ram, hîc quoque sum expertus: Non posse scilicet  
 Hominem sibi sumere quicquam, nisi ei cœli-  
 tus datum fuerit. Hæc; & alia, *Dauthius* ipse de  
*Dauthio*; unde constat, quam nihil ad summos  
 honores illi defuerit, cujus fides, dexteritas  
 & autoritas, felicitasque doctrinæ præcellentis-  
 umque

umq̄ consiliorum celebrabatur in Aulis, Aca-  
 demijs, Rebus publicis; Sicut omnium emi-  
 nentissimarum Dignitatum gradus illi paten-  
 tissimè coaperirentur. Quid? quod ab Ele-  
 ctore Palatino Illustrissimo vocaretur Heidel-  
 bergam ad Decretalium professionem; Cœ-  
 terisq̄ Electoribus, alijsq̄ Imperij Romani  
 Proceribus = Principibus, Comitibus, Ba-  
 ronibus, Nobilibus, Civitatibus Imperialibus  
 amplissimis, in maximi momenti causis Advo-  
 catus, Patronus, & Consultor fuerit, quod ipso-  
 rum Archiva testantur. Præterea Cancellarij  
 Spartam non semel oblatam excusavit à per-  
 petuâ capitis infirmitate quam juvenilibus  
 annis assiduitate nimia studiorum & lucubra-  
 tionum attraxerat. Consilia, Decisiones,  
 Responfa, Practicæ Quæstiones, Remissio-  
 nes ejus, & alia Jurium Studiosis utilia,  
 non ventosa, nec sine iudicio consarcinata,  
 sed gravia, de Legum Juriumque medullis  
 expromta, Veritatis, Iusticiæ, & Æquitatis  
 pedamentis amplissimè suffulta, quam Sum-  
 mis Viris non irrita, non ingrata, censeantur,  
 quâ expectata fuerint in Sacrosanctæ Cæsareæ

studij

F 3

Maje-

Majestatis Aulico Tribunali, & apud summum  
 Universi Romani Imperij ( quod Camerale  
 Spirense vocamus ) Dicasterium, propter dex-  
 terrimum in summè rebus arduis judicium;  
 monumenta superant, ex quibus constet, cum  
 omnia percalluisse, quæ Cameræ Imperialis  
 Ordinationibus sancita, Imperij Constitutio-  
 nibus approbata, usu & consuetudine generali  
 recepta fuerunt. Ponderosissimas Imperij Ro-  
 mani causas, judicijs acutissimis hîc illic pru-  
 dentissimè ventilatas, habuit in manibus: æ-  
 quitatem autem & præscripta juris arduè cir-  
 cumtulit in animo, qui juxta Scopum Divinæ  
 Legis Jurisq; Romani atq; Saxonici sententias  
*Nec Spe nec Metu* pronunciaret. Quibus omni-  
 bus nihil adhuc adest, nisi ut Orbi Romano sa-  
 lutaria à Te *Johannes Dautb Secunde*, Studiosi Jus-  
 ris Homines impetrent.

*fratris  
 erat  
 hinc.*

Nimirum Tibi contigit istud, quod o-  
 lim *Henricus Husanus* Jureconsultus, idem  
 excellens, Illustriss. Principum Megapolensi-  
 um Cancellarius inclitorumq; Lunæburgensi-  
 um Dominorum Patronorumq; meorum Syn-  
 dicus



dicus æstimationis primariæ, dicere solebat :  
 Quia non gignit bellum æqualitas; ideo quos  
 eadem conjunxisset sanguinis propinquitas,  
 eos non debere successione inæqualitate dis-  
 jungi. Imò quod aliubi I. Lipsius fatetur: *Capitur ad similitudinem suorum excellens quæq; natu-  
 tura & simulacrum cœlestium animorum refert de-  
 cerpta ab ijs aura.*

Tu igitur *Dautbiani* Nominis rerumq;  
 divinarum & humanarum hæres felicissime  
 publici Iuris & commodi produces elaboratis-  
 sima Responfa Senioris *Dautbij*, quæ jam dus-  
 dum in Aulis Cæsarum, jamdudum apud Spi-  
 rense Camera Consistorium, jamdudum à Iu-  
 risconsultorum plerisque summorum Collegijs,  
 in primarijs Universitatibus, jamdudum intus  
 & extra Germanici Soli pomœria à celeberrimis  
 ubiq; Viris, & nuper in Italiæ illustris Pata-  
 vinâ Academiâ omnem punctum pollicemq;  
 merentia, subscripta, candidisque calculis felici-  
 ter approbata sunt. Prome tandem, tandem  
 prome, tam divinissimi iudicij thesauros, Pico-  
 rum auro montibusq; contra cariores! totum  
 Orbem Iuris peritissimorum Heroum tam libe-  
 ralis=

ralisimâ necessarij beneficij significatione tibi  
 devinctum faciens solidam & grandem gratiam  
 inibis ab omni, si qui restant, huic seculo poste-  
 rorum memoriâ. Et quis dubio mentis judi-  
 cio fluctuaret? Animæ tantæ, tam felicissime  
 de plurimis Omnium Ordinum hominibus e-  
 videntissimæ prorogatum iri gloriæ terminos:  
 tametsi jam pridem æternæ memoriæ laudisq;  
 saltibus Vituperonum cervices transiliverit,  
 qui solâ maledicentiâ clari per odia Vir-  
 tutum in posteritatem iverunt. Adde, fore,  
 ut pluribus sensu oculisq; promptum fiat, Hunc  
*Dauthium*, non pompam tantum Jureconful-  
 torum nominis, sed verum Officium & partes  
 Verissimi Jureconfulti solenniter Iudicando,  
 Advocando, Consulendo, & Docendo com-  
 plevisse. Temporis astrigmento vinctus pro-  
 hibeor observatione curiosiori colligere Famæ  
 potentioris monumenta magis dilucida. Di-  
 cendum esset, quid de Testamentis, de Pactis,  
 de Fine Jureconsultorum, & alijs tacito nomi-  
 ne, ut humilitatis innatæ terminos non trans-  
 scenderet, Bono Publico divulgaverit, ma-  
 gnorum Jurisperitorum suffragijs omnino cla-  
 ratus.

ratus. Dicendum esset, quoties ipso inscio atq; invito, ab alijs, cum ipsius injuriâ, foetus à *Dautbio* conceptos & genitos *Non-Dautbij* in communem lucem statuerint. Dicendum esset, quot honorum nominibus cum Excellentissimi Quiq; designaverint, ut hinc non nihil ad Laudem *Dautby* si sit opus, accederet; siquidem à laudatis laudari, verissima Laus est. *Beustius* insignibus eulogijs suos præceptores condecorat, *Jochimum Mynsingerum*, fuisse Virum magni judicij & præclaræ eruditionis; *Johannem Sneidevintum* non fuisse ignarum Juris Saxonici sed ejus insignem Præcticū. Hæc profecto, viveret *Beusti*, tribueret etiam *Dautbio*. Et profecto, *Matthæus V Vesenbecius* quanti judicij Jurisq; consultus fuerit Audd. vestrum pleriq; noverunt; Ille sæpissime frequentavit hanc insignem Gloriæ vocem: *Johannem Dautb* esse Verum & optimum Iureconsultum Germaniæ. Vixit *Henricus Cresting* celeberrimæ *Bremensium* Reipubl. Consul & Syndicus; vivunt & alij proprio merito celeberrimi homines, qui non semel ex ore *V Vesenbecij* tam insigne præconium *Dautbionum* hauserunt, Testis est classicorū jam  
seculi

vivib

seculi Iureconsultorum optimus, *D. Sebastianus Nevius* Erfurtenſis ampliffimæ Urbis  
 ProtoSyndicus commendatiffimus: quem  
 Virum Vos *Magdeburgæ* Tutelares amorum &  
 honorum eximio cultu proſequi, cumq; venera-  
 tione nominis ejus quotidie recordari, novi:   
 quia ſemper Fidei testimonio digniffimum  
 eſſe cenſuiſtis, experti peculiarem in ejus dictis  
 & factis constantiam & autoritatem. At hunc  
 Ego *Nevium* audivi ſeriò affirmare, *Dautbium*  
 Noſtrum in Spirenſi Camerâ Dicatarum Au-  
 guſtiſſimorum non obſcurâ voce Iureconſul-  
 tum Germaniæ ſummum & incorporabilem eſ-  
 ſe renunciatum. Et video ſanè Viri Magnifici  
 in Ordine Veſtro Virum Antiquæ ſolidæq; Fi-  
 dei, cui Vos omnes, ſi cui aliàs, per plurimum  
 tribuere, quiq; Reipublicæ quot annos indu-  
 ſtrioſiſſimè ſerviens, plurimis Legationibus ex-  
 teris interfuit, ut rerum magnarum experienciâ  
 & prudentiâ circumſpectâ Vobis eum ſatisfa-  
 cere palàm teſtemini; quem propterea ut nomi-  
 nem, qui vobis ante notiffimus eſt, me mea Mo-  
 deſtia, & credo ſanè Ipius prohibet. Quoties  
 ille Reipubl. noſtræ negocijs peregri abſens au-  
 divit

divit? *Solum Dautbium Vestrum* omne punctum  
 Jurisprudentiæ suo seculo meruisse; adeo ut in  
 commilitio dignitatum & æstimationis dubi-  
 tatum fuerit, uter hodie dignior & excellentior  
 Jurisperitorum Antesignanus, *Regnerus* ne  
*Sixtinus* esset, an *Johannes Dautbium*. O gloriosa  
 anima *Dauthij*! ô preciola indoles! cujus cor-  
 pori quæ satis honorifica pompa fieri possit / ut  
 percipiat se dignam æstimationis æviternæ glo-  
 riam & prædicationem nunquam inter moritu-  
 ræ claritatis. Ego sanè statim à primordio, ac ve-  
 lut in præcentu meæ loquentiæ, causatus sum  
 infantiam, quæ satisfacere tanti *Jureconsulti*  
 laudibus haud possit. Et hic iterum minorem  
 merito gero me, ne tantum decus, tantum *Jures*  
*consultum*, tantum Nomen, tantum Juris numen  
 ingenio vili propudiosissime deteram: qui Vo-  
 bis satisfacisse videri cupio, cum dixerim, ami-  
 sisse Nos *Jureconsultum Baldinum*, hoc est. Verum  
 & genuinum, quiq; Titulum istum à *Scientiâ* in-  
 dustriossissime pariter & gloriosissime promerue-  
 rit.

Iam si post Veram Deicognitionem, nihil  
 est præstantius, quàm cum *Mediocris Eruditione*

*Bona Conscientia* : nam *Vitam beatam efficiunt*  
*Conscientia Tranquillitas & Innocentia securis*  
*tas*, ut monet D. Ambrosius : agnoscendum est,  
 quàm certa sinceritatis *Conscientiâ Dautbuis*  
 iste fulserit. Verum in hac parte si permitterem  
 Linguæ Meæ vagari, vererer, an hodie dicendi  
 finem inveniam. Non igitur prolabar in al-  
 tum, sed naviculam Orationis in ripâ tenebo,  
 pabulatum exiens in odoriferum *Dautbiana* *Vire*  
*tutis viridarium* : Date porro, precor, atten-  
 tionem purgatarum aurium. Cum didicisset  
 ergo *Dautbuis*, postquam à crepundijs immunis  
 evaserat, *difficulter fieri, ut bono peragantur*  
*exitu, quæ malo sunt inchoata*. *Principio* :  
*Bene autem & competenter universa geri, si rei*  
*principium, fiat decens & amabile*. *DEO* : pro-  
 pterea sic infuevit, ut juxta *Vota Parentum* pri-  
 mum illi officium esset *Pietas*. Vixit igitur  
 in *DEVM* *Venerabilis* omni vitæ tempore re-  
 ligiosissimi *Spiritus Hospes*. Et quamvis pue-  
 rilibus annis ex *Legibus Catholicæ Religionis*  
 educatus, inq̃ *Clericatum* ceremonijs *Pontifi-*  
*calibus* (uti tum mos erat) adscriptus esset : quia

tamen in Orthodoxâ Saxonix Lipsienſium Aca-  
 demiâ non nihil ætate iudicioq; confirmator  
 in viam Veritatis regetur veram apertè Reli-  
 gionem deinceps ingenue profefſus eſt. Genti-  
 lesq; ſuos quot ipſum inviſiſent ad Noſtram  
 Veræ Religionis Confefſionem enixiſſime per-  
 ſuadere conatus eſt, ut Converſus & Fratres ſuos  
 converteret. Jam Non dicam, quod pluribus in-  
 ter Vos notum eſt Audd. quantâ ſtudij flagran-  
 tiâ, quantâ contentione diligentix ac ſolertiæ  
 reverentiâ ſe ſacræ Rei totum, præter Iuris offi-  
 cia, comparaverit; nam id ignaris incredibile  
 videretur maximè. Exſtantiora ſaltim ut deli-  
 bem, prima luce quoties ſomno ſurrexit, & cum  
 Honor, Mundi Claritas Dici, ſepelitur in tene-  
 bras, nihil illi prius fuit, quàm flagranti ſtudio,  
 manibus puris, aperto capite DEVM ad be-  
 nefaciendum venerari; primus in manibus Li-  
 ber aut Epiftoſa, Biblia fuerunt quorum Codi-  
 ces aliquot non tantùm digitis lacesſentibus  
 detritos ad ſqualorem, ſed interpolatos erudi-  
 tiſſimis interpretationibus & annotatiunculis  
 in crepidine ſeu papyri margine coniectis, vidi;

videbunt, ore pleno testabuntur illos ingenuæ  
 Religionis & æternæ Pietatis officinam siue di-  
 vinæ Sapientiæ Thesauros esse, & quasi Penu-  
 locorum communium, quod Professione Theo-  
 logo magnam Eruditionis supellectilem suppe-  
 ditare possint. Sed hoc etiam in admirationem  
 illi meritò vertimus, quod Prophetarum Esaiæ,  
 Ieremiæ, Ezechielis, Danielis monumenta,  
 Psalmos quoq; Davidicos, memoriâ tam felici  
 complexus erat, ut non Capitotim tantum, sed  
 Verbótim quoq; velut in digitis & ad unguem  
 (quod dicitur) recitare, si debuisset, posset: &  
 ne quid ex illis involveretur Oblivionis sipario.  
 septimanis certo die *Veneris* singulis singulariè  
 Pericopas Caputum memoriâ denuò iterabat.  
 Rarum hodie Exemplum! Antiquorum Pa-  
 trum copiâ tam opulenter instructus, & lectio-  
 nis illorum tam impensè locuples fuit, ut in hu-  
 jus rei censu nemini cedere velle diceret, præ-  
 fertim Clem. Alexandrinum, Ambrosium, A-  
 thanasium, Athenagoram, Chrysostrum,  
 Cyprianum, Cyrillum, Damascenum, E-  
 piphanium, Pamphilum Eusebium, Heliam  
 Cretensem, Nicetam Heraclensem, Hierony-  
 mum,



mum, Hilarium, Irenæum, Justinum, Beatum  
 Martialem, Sanctum Maximum, Gregorium  
 Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Orige-  
 nem, Tertullianum, Theodoretum, Theophy-  
 lactum, & alios assiduâ judicij diligentia pervol-  
 vit. Et hos, quibus visum est, in illius Biblio-  
 thecâ cernere, credo quoq; legere, poterunt. Sed  
 enim horum Lectionem eo loco habebat, ut  
 quicquid in istis cum Sacrarum litterarum Ve-  
 ritate conspiraret, illud saltem esse verum dice-  
 ret: à quâ normâ quicquid decederet, illi, con-  
 cessum Christianis, misit repudium. Et hinc ei  
 sub manibus natus est fructuosissimus libellus  
 de Resurrectione Mortuorum, quem ante an-  
 nos in lucem, post obitum suavissimæ Conju-  
 gis *Catharinæ Vagneriæ* Lipsensis, editum, præ-  
 cedentem Mortem hebdomadæ secundis curis  
 meliorem reddidit: Post hunc designavit & fi-  
 dei suæ Confessionem, Agni Paschalis Exem-  
 plarem, Historicam, & Moralem exegetin, & alia  
 magni momenti opera, quæ *Dante Deo* lucem  
 publicam videbunt, sine dubiò cum immensâ  
 gratulatione recte sentientium. O verum verè  
 Christianum Iureconsultum Auditores! Sed  
 ne videamur in uno tantùm nervo concentum  
 G 3 edere

edere, sed universos etiam Artis Musicae modos  
 numerose decenterque percurramus, Pietatis ef-  
 ficaciam in affectibus hujus expendite. Sicut in  
*Prosperis Non-Tumidus, sic in Asperis Non-Ti-*  
*midus* erat: sed quando versabatur in discrimi-  
 ne, quod non semel ei vim atrocissimam inten-  
 taverat: *Ut enim Mare non est, sine fluctibus, ita*  
*Christianorum, vita non est, sine luctibus*: ibi  
 non adspernabatur humana, sed maxime refu-  
 giebat ad divinum Patrocinium, causarum justi-  
 cia & rectitudine confusus, proinde confusus  
 nunquam. Praesertim in studiorum acerbissima  
 remora, praematurimo obitu Filiae *Magdalene*  
 quadrimestris; & Conjugis fidelissimae; cujus  
 consortium Abrahamo-Sario sanctius; Isaco-  
 Rebeccio jucundius, David-Abigaileo pruden-  
 tius, Tobi-Anno delectabilius, Zachari-Elia-  
 sabethano tranquillius expertum esse se sub in-  
 pias agonis extremi dieculas confessus est: Coe-  
 terum in hostilium semidæmonum indignis  
 persecutionibus, aliisque acerbissimis afflictioni-  
 bus, ceu stellæ nocte lucent de Die latentes, sic  
 Virtus, Fides & Constantia in Sortis prosperi-  
 tate non modo non latebant, sed devotio quoque  
 clarè patebat, sic, ut Verè, Verè hujus Viri  
 Do-

Domus Precationis audiret. Testor illos, quibus cum ipso crebrior familiaritas intercessit; quàm ardentè, dies & noctes in continuis precibus & exercitatione Pietatis terebat, quanta fide gemitus ad Deum spargebat, quàm flagranti confidentiâ divinam opem & auxilium in necessitate seu tentationibus ambiebat. Ethnicorum lapides & simulachra lignea - saxea Papistarum ardore suo precum commôset, ut animum facilem mentemq; benignam severitate depositâ assumendo brutam feritatem omitterent. Patrocinium quoq; à suâ scientiâ miseris non respectu personæ declinabat, ut iniquitates locupletum derivaret in sese, exemplo Papiniani justijuris & æquitatis sinceræ sedulus Antistes. Et quia Iudicem Iehovam aliquando rationes ire petitum ab illis, qui dicunt sententiam in crimen & caput hominû, sciebat abhorruit omnianimo à tam severo Iudicum Dicasterio, ne susciperet etiâ patentes ad inclyti Scabinatæ estimium januas. Hærebat in animi medullis & antè conspectum *Philippi Cominei* saluberrimum axioma: quod cur non arcessam? Nihil est

in

in hac ærumnosâ vitâ potius, quàm ut metua-  
 mus divinum iudicium, & studeamus in rebus  
 omnibus Æquitati & contenti simus mediocri  
 vitæ genere, neq̃ defatigemur ijs curis, quales  
 ferè suscipiuntur à multis, nimia quadam cupi-  
 ditate & ambitione augescendi. Hanc viam si  
 possemus ingredi ac tenere, & tranquillius vi-  
 veremus, & minus affligeremur valetudine ad-  
 versâ, & mortem non adeò timeremus. Etenim,  
 quanta sit Vitæ nostræ miseria, facile potest ex  
 eo colligi, quod simul atq̃ mortuus est aliquis,  
 quicumq̃ sit ille, statim omnes abominantur, &  
 exhorrescunt ipsum cadaver, & evolat anima, sis-  
 titurq̃ mox iudicio inevitabili. Insuper illis,  
 quibus lejuni pecuniâ penates fuerunt, ad in-  
 digentiæ charybdin alligatis, inter extrema-  
 rum rerum incitas, ne prorsum fame confice-  
 rentur, dabat Decimas ex omnibus, quæ magni  
 Clientes magno Patrono destinaverant. Paupe-  
 rum ventres ajebat horreum esse, quo frumenta  
 nostra deponere possumus, ne pereant. Et in  
 hac Vitâ seminari oportere ut retributionem  
 iu illâ metamus. Cur enim Pauper non accipe-  
 ret nostrum Cibum, qui nobiscum accepturus  
 est Christi regnum? Erga alios, imò seipsum  
 quoq̃

quoque quomodo se gesserit, nemini compertum non est: Attentus continentiae Viciorum humanorum incurfus à se strenuè pugnà repulit, qui intra fines Temperantiae honorem corpori, decentem integritatem sexui, constantiam Sanctimoniae in jugi modestiâ fundaverat. In amicitiarum firmamento non smegma, non velum inane favoris; sed judiciû apprimè secutus, admissam nunquam expectorabat. Candorem hostes confiteri coguntur; quia non hujus maleficio, sed propriâ quisque malitiâ concitati *Dantbio* factum volentes enormiter ad Iusticiam impingendo partim hîc luerunt, partim æterno Iudici respondebunt. Nihil interim sibi molestum aut grave videri passus est, affici ab alijs injuriâ, quos nunquam offenderat. Comis & affabilis ad extremum Vitæ diem mansit, securus illorum invidentiæ, à quibus beneficio lacesitis maledictis rebeari sustinebat. More humano siquidem ad reprehendenda aliena ardet omnibus animus. Et morbus hic ac ferè fastidium Eruditorum omnium est, ut vix aliquis existat tam absolutus, ut alteri per omnia satisfaciat: nisi longâ temporis præscriptio summotâ judicandi libertate, religione quadam animos omnium occupave-

paverit. Verùm injurias ut pillulas, non masticare,  
 sed devoverare saepe condoces factus. quod à turbâ  
 quoq; sedatior domi viveret, exemplo Veterum  
 Deo gratum, sibi Laudi duxit, dum interea ser-  
 viret alijs: domum enim suam Bonis Doctisq;  
 semper patentissimam habebat. *Salubrium. Cons-*  
*iliorum est parens Sobrietas:* Quis autem Dau-  
 thium vidit Ebrium? Serenum tranquillumq;  
 Beatæ Pacis statum experimentis doces factus  
 suavit! Neminem ratus esse concordem cum Christo,  
 qui vellet esse discors cum Christiano, Prodissent, si  
 qui sequiora dicere posse crediderunt, vivo leo-  
 ni trepidi mures. Demum in omnibus illi sem-  
 piterna vox erat; *Potior est mihi mea conscientia,*  
*quam omnium hominum benevolentia. Conscientia*  
*am Dei munere salvam à Juris provinciâ sustineo:*  
*Militare bonam militiam enixissime studeo: neque*  
*fallar, mihi contingere gloriæ coronam in cœ-*  
*lis non marcescibilem. Felix Dauthi! ô Dauthi*  
*felix! hoc ad Jehovam excellenti viatico! quâ*  
*plurimi caruerunt, qui te clariores videri vo-*  
*luerunt. Eras tu, si quis alius, Omnibus suavis,*  
*nemini gravis, vivens D & O pie, Tibi castè, proximo*  
*justè; Utens amicis ad gratiam; inimicis ad patien-*  
*tiam, omnibus ad benevolentiam; quibus potuisti, ad*  
 benev.

beneficientiam; In Vita tibi quotidie moriens, in morte Deo vivens. Ita tibi pura mens erat instar lucerne, in omnibus actionibus, ad vitæ portum clarissime prælucens. Et ductantis ad portam non desitura gloria. Ne mihi dicenda sint Audd. singula, semel dicam omnia:

*Dautius ex sese Virtutes protulit omnes:*

Hoc est, si quis Johannem Dautb dicat fuisse Danielem devotione, Salomonem prudentiâ, Reipubl. Aristidem judiciâ, gravitate Catonem, Constantiâ & animo Fabricium, patientiâ Hiobum, studio concordix Thrasybulum, amicitia Lælium, temperantiâ Josephum, Zenonem taciturnitate, Veritate, Candore, Comitæte, & alijs Virtutibus Heroibus alijs planè simillimum, ille nunquam incurret rectè sentientium reprehensionem. Et tamen aliquis oppangeret: An is es tu, qui cuncta divina dicere de Hominibus præsumferis? Verùm isti dicam pari depudentiâ: An igitur is es tu, qui bene meritos à Famæ regno, tuo censu, proscribere ausus es? Dautbio fuit ingeniũ Hominis, & natura terrestris: quod omnes interdum affligit. Quid igitur judicabis tu de isto? Qui censuram de te jam ferre jussus est. Nimirum hoc esset, quod summi  
nomi

nominis Theologus alicubi Christianissime lo-  
 quitur: *Trabenses judicant Festucenses*. Sed fiat  
 hinc iustitiam: est enim in cœlo iudicium. Inter-  
 ea, si fuerunt, qui tenerent *Scientiæ multum*, *Con-*  
*scientiæ parum*, extra hunc ictum planè fuisse  
*Johannem Dautbium*, ut careamus hominum tes-  
 timonio, Res fidem fecit manifestissimam. Sed  
 quâ *Conscientiâ* Cœlum petijt? Optimâ! gratios-  
 sus & expectatissimus Hospes Olympi! Post-  
 quam enim vitâ superasset istud ævum, quod  
 pijs Jehova pollicitus, & admiratus Moles est  
 (quot annos D. Augustinus satur discessit ad  
 cœlites) septimo supra septuagesimum, ut ipse  
 numeravit paucis sub obitum horulis, Anno  
 Jubilæo suæ Oeconomix (nam Anno Chr. 1570.  
*Catharinam suam VVageneriam Clariß. Viri M.*  
*Pauli VVagneri Olim Secretarij Reip. Brunsvicen-*  
*sis, deinde Senatoris Reip. Patriæ Lipsicæ sororem ux-*  
 orē duxerat) exspiravit. Si quomodo quis vixe-  
 rit, gloriâ beatitudinis homo præstaret homini  
*Dautbium* meruit. Sin quâ lege vitam aliquis fini-  
 at, æstimatio facienda est, nihil hinc ejus digni-  
 tati quoq; detrahi potest. O quoties post annum  
 salutis Christianorum reparatæ 1586. vitæ erga-  
 stulo dissolvi cupivit! quam masculè mortis spi-  
 cu-



culū expectavit! Etiam peculiari Epigrammate  
 quod Cygneum appellare solebat vitæ desidera-  
 rum finem industriā magnā solatus. Nimirum  
 ut norimus hoc, quod supervixit tempus, nihil  
 illi nisi mortis fuisse meditationem. Et debet  
 quidem tota Vita prudentis, mortis esse medita-  
 tio, ut homo proficiat in bono, sibi caveat à ma-  
 lo. Memorabilem animi constantiam interea  
 singularemque fiduciæ fortitudinem, cum summā  
 pietate Religionis conjunctam asservavit. Et  
 quæ duo solent in graveſcentibus annis, homi-  
 nibus odiosa videri, Senectutis gravitas, & Mor-  
 tis acerbæ timor, Horum nihil grave *Dautbio*  
 nostro visum. Sera jam Senectus velut alluvio  
 non sentienti subrepsit: Timoris à morte tam  
 expers fuit, quàm aliquis David, Vir secundum  
 DE I cor: imò quotidiano sermone frequenta-  
 bat: *Ejus esse, mortem timere, qui non putat se vive-  
 re post mortem. Adam & Eva contigui mihi vicini  
 sunt, in quorum lumbis universa Gens Hominum ruit  
 per vetitum nefas ex Paradiso; non aliter ac patrijs  
 sedibus exterminantur, qui grande facinus in urbe  
 commiserunt. In mortis autem momento Res ipsa ve-  
 rè restituitur, ut Dei gloriosi Filius cum omnibus An-  
 gelis & Ecclesiā triumphatice procedat obviam &*



*cum eterno iubilo suscipiet convivam & coheredem  
 resentem indigetum. Bona itaq; mors nequaquam  
 est abhorrenda, quæ tametsi vitam adimit, non perit  
 mit. Adimit ad tempus, ut restituat in tempore, durat  
 turam sine tempore. Itur Cubitum, non Occubitum.  
 Si quod miremur, tam raræ senectæ Nestori, vi-  
 sus sine perspicillorum usu clarissimus, vivax  
 memoria, prudentia Consiliorum, responso-  
 rum cautio, transactionum felicitas, ingenui-  
 tas reprehensionum, conversationis comitas,  
 & ad juvandum promptitudo, ad largiendum be-  
 nignitas homini nemini defuit. Tertia tandem  
 sub beatissimum obitum nocte, Clepsydra, quæ  
 jam novem & viginti annos, dum nobiscum Mag-  
 deburgæ vixit, usus est, in somno visa fuit in fru-  
 sta prolapsu collidi; mane testatus, nihil jam im-  
 minere secius, nisi vitæ tempus esse transactum.  
 Sic igitur ad Mortis iter præparatissimum pe-  
 ctus, postquam dies illætabilis, quam emortua-  
 lem senserat, illuxit, ubi consuetum glorioso Ie-  
 hovæ cultum præstitisset, viribus sensim ex-  
 succus, plenus intellectu, confitus laborum &  
 annorum honestissimâ mole, DE I verò gratiâ  
 magnopere viaticatus in complexu Fratris Nes-  
 potis *Secundi Dauthij* piè, placidè, velut in dul-  
 cissimum*

cisimum soporem solutus, animam exhalavit  
 in Dei gremium, quem toties pro clementi libe-  
 ratione compellaverat. Et hæc quidem preciosa  
 Mens tam leniter exeesit honestissimi corporis  
 domicilio, uti nec manus, nec pedes, nec mem-  
 brum ullibi percelli seu concuti per sensum sit:  
 nisi quando caput in ulnis sui *Senioris Dauthij*  
 non nihil inclinaret, quod multoties ad Cælum  
 melioris vitæ Regiam erexerat: *Et sic mortuus*  
*est in Pace, qui Christum habebat in Corde.* O splen-  
 didum viventis! ô Christianissimum morientis  
 speculum? cui nullum unquam intercesit cum  
 erectâ *Conscientiæ* tribusculum. Fuit igitur *Jo-*  
*hannes Dauth Senior!* Fuit *Aud. Christianissimus*  
*Juriconsultus, & Jurisconsultissimus Christianus.*  
 Nec dubito, videri vobis omnibus, & suffraga-  
 neis quasi votis desiderari, ut cuiq; Vita similis,  
 similis obitus à Dei clementiâ contingat, cum  
 animo tam sapienter constituto. Fuit, inquam,  
*Virtutum unio, religiosissima Pietatis carbunculus,*  
*Lucerna Juris & æqui, communis Thesaurus pauper-*  
*um, senum hominum baculus, viduarum refugium,*  
*orphanorum tutor & patronus presentissimus, plurio-*  
*rum in quovis ordine solatium.* Tibi verò *Magi-*  
*deburga Venerabilis,* tibi *Bransviga Nobilis,*  
*fuit; fuit Antiquæ Veræq; Libertatis vindex &*

ad sessor primarius! Damnum irreparabile exercitatisissimi Jurisconsulti & Consiliarij! quod necessarium est solemur hodie superstitibus Æquitatis promachis felicibus: quos ut Jehova perpetuo felicitet, & Reipublicæ nostræ Vetus-  
 stissimæ bono salutariter conservet, serio precamur. Tu Æterne DEVS, Reipublicæ Magdeburgicæ Megistanes & Proceres conservandæ Religionis & Pacis causâ, Magistratumq; nostrum gravissimum, piæ Politicæ & nutritivum, Remq; totam publicam, & omnes in illâ de Ipsâ bene merentes æternum sospita: Spiritum Sanctum Consiliarium illis porro clementer indulge, ut sub illorum tutelâ tranquillivivamus Tibi gratè, Nobis omnibus fructuosè!

*TIBI SOLI GLORIA.*



PII MANES  
VIRI AUGUSTISSIMI  
D. JOHANNIS DAUTH,  
Jure Consulti

*Summi*

*&*

INCOMPARABILIS.



Magdeburgi,  
*Prid. Non. Septembr. Anni*  
*M. DC. XXI.*

Typis ANDREÆ BEZELL.

SYLLABUS

De  
D. JOHANNIS DAUTH,  
JURECONSULTI  
VITA.



RANCI A quem genuit: quem clarum Jure  
Solonem

Finxit, & in Verum Lipsia celsa Virum:

Dum gemina fertis redimitus tempora Laurus  
In bifido clarus Jure Professor erat:

Hunc BRUNSUIGA potens & MAG-  
DÆBURGA fidelis

Illa Dei, experta est saepe THALET A suum.

Hunc Caesar, Regesq, Ducesq, Urbesq, frequenter  
Optarunt Votis pandere Juranovis.

Nunc qui ad Justiciam toti fuit utilis Orbi,  
In caelo clara Lampadis instar ovat.



Typis ANDREAE BEZELI

Memo

MEMORIAE  
VIRI NOBILISSIMI ET AMPLIS-  
SIMI DN. DOCTORIS,

JOHANNIS DAUTT,  
Jurisconsulti Clarissimi, Re-  
rumpub. MAGDÆBURGENSIS & BRUNOVICENSIS  
Consiliarij meritissimi, fautoris & amici benevolentissi-  
mi, vitâ functi S.



Factum infelix! ex quo nova  
causa dolendi est:

Unio Parthenopes Dauthius oc-  
cubuit!

Qui quondam Patriæ decus atq; honor Ur-  
bis & Orbis;

Corporis illius & flos perit ingenij!  
Quem, Themis evexit, quem quilibet Ordo  
Dynastum

Certatim atq; Urbes expetiere, Virum:  
Næ! sic laudarunt animi prudentis, acu-  
men

DauthI, qui meritis maximus unus erat.

Ergo

I 2

Sed

Sed saltem hospitium Terra est, non propria  
sedes;

Omnibus & pia Mors est mera Vita, bonis.  
Nemo igitur *Dauthio* inuideat requiem atq;  
salutem,

Nec penitus frangat tristitia corda dolor.  
Ast age, difficilem vincat Patientia luctum,  
*Dauthio* enim, Mors nil, quod domine  
tur, habet.

Felix! qui potuit sic coeli scandere sedes,  
In, queis post obitum fata manere si-  
nunt.

Da *Jhova* sis similem Patriæ fidumq; Patro-  
num,  
Qui Fidei & Juris dexteritate valet.

*Τῆς συμπαθείας, ergo faciebat*

Joan-Heinricus V Valther,

J. U. D.

ANNO

*Johannes Dauth In Saxonia Metropoli obIt  
Parthenopoli.*

Ergo



**R**go ubi Germani SAT Vixit Scævola Juris  
Dauthius, ille, Solon seclī, præfulgida lampas  
Urbium, & Orbis Honor: Themidos contollite  
Vos alij Legum Chilonēs atq; Biantes: (pompam  
Et varet, ut memores Consi scribatis in Aras,

Tanti Demonij non sat venerabile nomen.

Nos alij mediā Genij de plebe fideles,

Artium & inferiorum animi, cum simplice lauru

Cupressum tremulo miseri simulabimus ausu

Et tantum nullā maestabimus arte Dynastam.

Nempe fui solus presium solenne valoris

Noster Nestor erat, tam grande & nobile, supra

Censum Basanæ, ne famam postulet ultra

Proferri à rudibus, quorum sunt hæc quoq; sacra

Versi legis, egeat ve novis clarescere nugis.

Dum tamen inferias sua Mens Divinior ullas

Emeruit Veterum & Juvenum: Hac juvenantia pau-

Noscite, & in plutei extremâ regione locantes

Indulgete locum Johannis nomine Dauthi.

At tu quem genuit Ludoico Patre Sueva

Magdalis, illustris simili Matrona Marito

Dauthi siderea proles augusta Suada,

Si superest sensus, quo talia nostra recenses,

Da veniam, meritis nisi Te mihi laudibus æquent:

Dictabunt alij, largus queis spirat Apollo

Semper digna tuis memori Virtutibus orbi.

Nos autem memorare juvat, cum fratre priori

Hironymo satus in scenam quàm faustiter Orbis

Personam, obliquo vel Momo judice, rectè

Gesseris, excellentum non indignus honorum.

Urbs memorabilium Francorum inter sita claret,  
Urbes, à Taurig, Vado se nomine Fortis  
Factitat; & si non alijs splenderet avitis  
Civibus, hoc celfo Themidos luceret ab Igni  
Ampliter: exemplo multarum: ut consecrat ævo  
Andes Virgilius, Sallonas Justinianus,  
Arpinum Cicero: & cur non hac Patria Dauthio  
Cive mereret in illustres censerier Urbes?  
Nam simul hic tenero Musis devotus in ævo  
Largiter expleret clari mera Mattea fontis  
Castalij, qualem in trivijis mens cauta Magistri  
Clave aperire solet fidei solertis: abibat,  
(Dum Pater humana mature amicumine Carnis  
In requiem dederat mentemq; immiserat Æthræ,  
Matris ad indultum Divinam Lipsida; firmans  
Dulce rudimentum serpsim clarentium honorum,  
Ingenio facili citò cunctus Dauthius unus  
Notus ab ingenis censuram ferre paratis.  
Scilicet, ut pronè signum Virtutum honesti  
Dant Genij, & faciunt spem Mecenatibus amplis  
Temporibus, quotcunq; bonâ se fruge saginant.  
Sed quibus est animus, non fausti sideris ortu  
Fixus ut in leges abeant; quascunq; fidelis  
Doctor sperabat, forsân procliviter haut fit.  
Visus ad artificem dum non est usq; cothurnum  
Qui sciret sutor, satis ut foret omnibus unus.  
Queis animæ verò melior vis hæret, in illis  
Excipuum à teneris jamdudum nomen habebat  
Dauthius, & nisi Fors juveni malefida fuisset;  
Ocyus ad rerum poterat conscendere culmen.

Sed

Sed simul ut spexit, quam dextra robore Clava  
Nixus, & Herculeâ vi sedulitatis obiret  
Munia discentum, pedicas innexuit amplo  
Infesta ingenio, Musam adspersa fidelem,  
Terrica magnorum Fortuna Noverca Virorum.  
Hinc simul à cœpto deflectere tramite jussus  
Oria carpebat, mutatis non bene castris  
Phœbe tuis ad Mercurij transire tabernas.  
Horruit: At fecisset enim, nisi gratia Cœlo  
Præluxet melior: Pietas meus, inquit, hic Heres:  
Et meus, addebat Themis, absit ut amplius à se  
Spernat & excernat suscepta stamina tela.  
Nec mora: transcriptum potioribus incrementis  
Antistes sacer Herbipali V Virsbergius, ille  
Francia Dux Tuus adfulcit tibicine Gaza  
Dauthium, & amissas aliquando requirere Musas  
Mandat, ut Heroum mereat super arte decorem.  
Heu! ratio Magnis hodie malè congrua Musis!  
Quæ veluti sine cortice, Mecænat is egentes,  
Marte vel ære suo coguntur nare, perire.  
Non ita, quem sanctas hodie miscemus ad Umbras.  
Sed velut illustri radicem Palma flagello  
Tangere visa bilari sese tamen ardua nisu,  
Vinci onere impatiens, longè sublimius effert,  
Ut rupes in littoribus stat fulmina contra  
Sava poli, & malè leua salise flumina contra  
Asperat indocilis concedere fluctibus usquam.  
Haut secus ingenium, nullo mersabile ponto,  
Sustinuit, rerum affluxum fortisq; maligna  
Felici Genio major conatibus exijt.

Dico

Hinc

Hinc velut accensâ clari face Numinis, ibat  
Ad veteres Philyras, florens prænobilis ois.  
Non noti populis, tendebat alacrius arcum,  
Edita Doctrinæ per templa arcesq; severæ  
Dauthius, adq; Bonæ Mentis se immittere cursu  
Ritè sibi legem figens, demergere somno  
Lumina vitabat solertibus ardua curis,  
Nocte dieq; idem; qui scire a vet omnia rerum  
Semina, & implicitas Naturæ in corpora vires,  
Cur toties Phæbus, toties cur Luna laboret,  
Unde trahant Cælum Neptunia roborâ Venti,  
Et streperi flammarum ignes crepitantibus astris  
Sæpe per ingentem radios jaculentur Olympum,  
Quos Vitæ scopulos vitari postulet Æqui  
Virtutumq; Canon; quo prava relinquere nisi.  
His mixtum studijs non frigora sæva morantur,  
Non æstus, non omne quod est dispendij amarum.  
Dicere nec facile est, quàm duros ille labores  
Pertulerit, vigiles quot noctes atq; dierum  
Emensus spatia, abs luxu, dum celsa sororum  
Castra novem sequitur: clarandus in artibus harum,  
Non sic æstivum sub solem examina miras  
Exercent operas; nec tanto dedala fingunt  
Tecta, vel ambrosias arces; quàm Dauthius Artes.  
Ergo illum excipiunt eadem Pegasides ulnis  
Obvia, ut ad geminæ directum munia laurus  
Plebem ultra vacuum sistatur epomide dignus.  
Viderat has juvenis preciosas undiq; laudes  
Juris apex Bادهornus, & hunc Chirona peritum,  
Fingendi ingenij magno sibi vinxerat usu

Ductoꝝ

Ductorem Gnatis ; quorum Prior ardua in Aulis  
Munia sustinuit ; primos sed in urbe Secundus  
Fasces : spargentes Bادهornium nomen in orbem.  
Hinc ubi Legum apices versaret & ardua Juris :  
Actor Causarum, haut veluti qui in flumine victum  
Queritat à lino, celans fallacibus hamum  
Perlecebris, malè consultos ad litora pisces  
Captat, in insidijs rectorum & fraude ciborum.  
Quali aliquot titulo Themidos, non arte, Dicaste  
Ingentum obversante spe specieq; clientum,  
Autores fraudum, involvunt nova texta technarum,  
Queis stringant rapidis non-provida pectora nasfis.  
Dicitur, in Libycis inter carecta latebris,  
Post caulas sonitus imitari vocis Hyenam  
Humanae, monstrum sitiens sine lege cruoris :  
Et volucres pedibus catulos, ruriq; manentes  
Matribus in cautis pueros, teretesq; puellas,  
Pastores etiam consuet à voce vocare,  
Dum fraude implicitos conficti nominis, urco  
Prosubigens pede desuccas sibi sanguine fauces  
Impleat, & rabiem saturet ferventer edendi.  
Is furor est aliquot consutis Fureperitis,  
Smegmate ut illiciant ignaros saepe clientes,  
Quorum desugant os, vivum & sanguinis imbrem.  
Hoc Dauthi procul à rumore, ubi Gloria mundo  
Fulgere visa palam diverse in climata terra,  
Undiq; ferveret : censuit sibi ducere laudi  
Bellipotens Bruusuiga virum in sua munera tantum  
Si trahat, & rerum in perplexa mole Thaletis  
Consilijs utatur, & hujus voce disert à

K

Iste

Iste fide summâ, quæ dexteritatis & arte  
Cuncta ministravit, testamur, in Hunc Periandrum  
Migrasse ex veteri Virtutem, atq; omne Catonis  
Pectus in Hoc pectus, vel si quid majus in orbe est.  
Adde Palatini quod Ei, quod Saxones, & quod  
Brandenburgiaci Terrarum à Numine Reges,  
Quod celsi Comites, quod magna jugiter Urbes  
Omnia Consilij decrerant huic quoq; Summi  
Munia: Regalis clarissima signa favoris.  
Tanta Viri Virtus, tam multa peritia Juris,  
Mens erecta, tenax fidei, prudentia solers,  
Et capitis niveus pariterq; in pectore candor  
Promeruit: quæ sola Viros ad sidera ducunt.  
Hunc mihi Consultum Veri Jurisq; peritum  
Primum & sincerum germanæ Gentis & orbis  
Europæi unum, dixit VVesebecius Atlas:  
Jurisconsulti titulum qui verus obisset  
Dauthius in rerum Censuris; utq; clientum  
Una Domus cunctis pia Consultoribus æqui  
Millia multa daret; qui tot vigilanter ad annos  
Lipsidos è Cathedris docuisset jura juventam.  
Hunc plus oblitum quam plures discere quirent:  
Dum tamen ingentes se iactent Jureperitos.  
Spira Europæi Oraculum est prænobile Mundi,  
Ex quâ tot Juris quærunt responsa Dynastæ,  
Ancipitisq; petunt arbitria libera causa;  
Queis miseros animentq; reos iutentq; clientem  
Ambiguâ afflictum Patroni lege fidelis.  
Spira Europæi est Miraculum nobile Mundi,  
Unum Palladium clarumq; ubicunq; Themistarum  
Omium;

Omniū in omnigenam quos nasci cernimus Orbem,  
Orbem quadrivij: quem diffidit orbita campis.  
Spiræ etiam has Dauhti asseruit sanctissima laudes  
Et jubet in memorem proferre diutius Orbem.  
Cæsaris Augusti quoq; dia Astræa, per Aulam  
Haud semel insigni elogio in suffragia duxit,  
Dauthia si qua Themis summis censenda Dicastis  
Jura daret: non est rarò primaria causarum  
Imperij Acta Quirinalis libramine mentis  
Palladiæ circumspècto dum ventilat, ingens  
Molis opus vigili crenâ succrevit: et optat  
Jampridem claras prodire in luminis oras  
Laudemiasq; Ducum Themidos: quibus Unius illud  
Judicium magni jactatur Curia mundi  
Justiciæq; domus. Quin Tu Dauthæ Alter Honorum  
Hæres, et Genij vivax Epicedion Hujus,  
Ingenium interpone tuum; et qui splendidus ornas  
Nomen et egregijs Patruum virtutibus iisdem;  
Hoc etiam decoris tanto pius adde sepulchro,  
Ocyus ut vastum veniant Responsa per orbem  
Et Consulta: novi quæ sperat jugiter ævi  
Flos, hominum soboles, vera Themidosq; propages:  
Hostimenta tui capies æterna laboris  
Præmia, participij Patruo dignandus honore.  
Macte tuâ virtute! Orbi quæ scripta sagaci,  
Indulge, nec vota moretur Perfica felix.  
Adde, indefessæ divina volumina Mentis,  
Quæ mel Theiologum sapiunt et sacchara Verbi  
Cœlestis verâ cum Relligione propagant.  
Fallor? an hoc communis te suffragia luctus

Dauthe Secunde volunt: dum tot à cernis ab Urbe  
 Confluxum insolitum testari ob tale dolorem,  
 Funus, vicini ut querimonia seq̄, catenet.  
 O quæ Consilij lux exijt! ôq̄ Themistam,  
 Publica quam magnum jam res deperdidit! Istum  
 Quem intererat superesse diu, & convivere Juri  
 Consilijsq̄, juvare Patres, Veriq̄ Patronos.  
 At Tu quæ liquido tranasti limite nubes,  
 Sidera jam calcans pedibus cælumq̄, profundum,  
 Dauthi anima, ô dilecta Deo, cum pace triumphans  
 Indigetes inter; queis vitæ premia Cælum est.

M. JOHAN. BLOCIUS, P. L.  
 Gymnas. Magdeb. Subrektor.

III.



Cecubuit nostræ Doctor clarissimus oræ  
 Dauthius, & terræ desijt esse super.  
 Occubuit magni quondam spes magna Sen  
 Dauthiq̄, ingenio maximus, arte, fide. [natus  
 Dauthius occidit hei! Vir servantissimus a q̄ u;  
 Consilio promptus, judicioq̄, potens.  
 Occidit Astrææ Princeps, quo sospite honestas,  
 Quo veneranda Themis sospite salva fuit.  
 Occidit is Doctor; quo tota superstite visa est  
 Justitia, haud dubiâ posse salute frui.  
 O nigra! ô malè fausta dies! ô plena malorum!  
 O funesta dies! ô lacrymosa dies!  
 Lux rapit una bonum; lux infaustrissima rerum!  
 Quem vix restituent, secla futura, virum.

Hei



Hei miseros! quæ nos premit inclementia coeli?

Hei miseros! quæ nos fata deinde manent?

Sed quid flere juvat? quid fata, immitia fata?

Quid miseræ querimur conditionis opus.

Restitui haud possunt querulo bona perdita fletu;

Defunctum lacrymæ nec revocare queunt.

Credite, nulla Dei, nulla est injusta voluntas?

Illius o placeat, nostra sed o taceat!

Occiderit Themidos lux; at non occidit ille,

Æquum qui stabilit Justitiâq; Deus.

Vivit adhuc, vivit; nec vivere desinet unquam,

Jova Deus, Christo Vindice quis metuat?

Virginis ille urbem adflixit, solabitur idem;

Auguror. O votis annue, Christe, meis.

Respice nos propius Deus aluæ, Urbisq; Dynastas

Virginæ, populo da superesse suo.

At tibi quis titulus, Doctor defuncte, sepulchro

Scribetur? Sit fas scribere, talis erit:

Quo tumulo recubas, *Dauthi* præclare, recumbit

Nobilis Astræ lapsa Corona Deæ.

Sancte senex, verende senex, clarissime sanguis,

Æternùm salve, perpetuùmq; vale.

Et tu Diva tenax recti, justissima Diva;

Suavia sacro balsama sparge rogo:

Lilia, fragrantem nardum, libanothin odoram

Puniceasq; rosas, Coryciumq; crocum

Suada sacras laurus, tu Pallas junge amaranthos.

Nos lacrimas sanctæ munus amicitia.

GREGORIUS PRÆTORIUS,

*Medic. Candidatus.*

K 3

Ut sol



**V** Sol in ortu splendet, sed occidens  
 Fulgore nos privat suo, & mirè anxiat,  
 Totumq; inumbrat universum nubibus:  
 Sic Dauthius *Vir ille præclarissimus,*  
*A quo secundum porro vix habebimus,*  
 Certè meret vocari Solis nomine.

Sed commodum multis dedit, nec ingeny  
 Dotes caligine ocii consopit,  
 Sed promovens Respublicam non segniter  
 Mirè coruscans visus esse Cynthius  
*Virtutibus prudentia, experientia.*  
 Nunc prò dolor, quando occidit hic occisa res  
 Est plurimarum civitatum, temperet  
 Quis ergo lacrimis? doloris schemata  
 Nec sumat? hunc oportet esse è tygride:  
*Vir namq; publicum bonum bonus est, eo*  
*Demto labascit privata resq; publica.*  
 Reliquit omnibus bonis luctum Solo  
 Cineres, sed *athra* mancipavit Spiritum  
 Excrescit *Albis* lacrimis, *Permes* fidos  
 Exaret unda. Spectat omnes hic dolor,  
*Magnos, minores, iufimos, minoribus*  
 Et maximis & infimis solatio  
 Quondam fuit, sed heu, fuit, donariis  
 Mactate certatim sepulcrum, odoribus  
 Ut stacte, amomo, gemmulisq; fulgidis  
*Clarissimi* tegantur ossa *Dauthij:*  
 Inflate buxum, luctuosa carmina

Ciete

Cicere vates, iusta digna promite,  
Si iusta promi digna possunt *Dauthio*  
Utramq; qui compleverat Solis domum  
*Famá*, proinde quæritat mundum novum  
Alcidis instar, qui subacto circulo  
Hoc universo, ad astra sese contulit.  
Sed iusta si nequeant dari funebria  
Prolixa laus ist hæc erit confessio  
*Quod nulla sufficiens Viro sit laus huic.*  
Valere manes, vos sequemur ordine.

**E** Mortualis hominibus natalis est:  
Nec nascimur cum sumimus, sed ponimus.

Immo reponimus vigorem hunc entheum;

Quamq; ultimam ponamus hic dieculam,

Aternitatis collocat fundamenta.

Ideoq; de ascentibus solet erigi

Victoriæ indicina, primitus fatis

Quæ denegatur Pyramus. Sic Barbari

Infantuli editi dolent vicem asperam,

Sed oecubantes prosequuntur gaudio.

Et lance si negantium purabimus

Rectâ, nihil committitur quidem absoni:

*Ærumna vita nostra, jugisq; est dolor,*

Vix hora gaudii datur, dum cogitas,

Prædas Charontis, vix minuti mominis

*Pars quarta disgregat necem à vita brevi.*

*Dum leta maximè periculo proxima*

Vita est. Ut herbam quam tepens Favonius

Produxit, abripit furentis vis Noti

Transversa, ceu recedit auribus sonus

Exstin

Exstinguiturq; flamma, sic transibimus,  
Minuta hora vita nostra, vanitas  
Vanissima est, lucrum dies serenior.

Sulurus est, & pulvis est, tumultus est,  
Canor, umbra, & aura, ros, vaporq; & nubila,  
Bulla est homo juvenculus, bulla est senex,  
Cinisculus pusillus est, cito disperit,  
Tortura longior manet, cui longior  
Est vita, jure faustior: proin dicitur  
Nasci, renasci, mox mori cui contigit,  
Et transilire tot malorum examina,  
Et ad beatum commearare circulum,  
Ubi sicut est læti Deum videbimus,  
Sanctisq; conformabimur phalangibus,  
Inebriati gaudio quod nulla mens  
Concepit hæctenus, nec auris audit.  
Stuporis esset ergo portio ultimi  
Curvæq; mentis symbolum planissimum  
Mutare læta fata tristi turbine,  
Et carceris præferre nidum Patriæ.  
Ad Patriam concessit istam *Dauthius*  
*Quem laudibus dignis simis qui tollere*  
*Conisat, ovi quæritat frustra pilum,*  
*Nodumq; scirpi. Justior magis an Pius*  
Fuerit, aqua hærens est; meam haut litem hanc facio;  
Scit cuncta qui scit J O V A, cui carissimus  
Dam viveret noster fuit, qui nunc sinu  
Demortui sanctè focillat Spiritum,  
Supra Calumniam profecto stabit hic,

Nec



Nec fama commovebitur Iuventium  
Ab impetu, licet venena subdolè  
Hinc inde spargant, cominus vix hiscere  
Nec sustinentes obloqui tanto viro.  
*Facente trunco qui vis ligna colligit,*  
*De mortuum catum insidere muscoli,*  
*Præsentiam cuius ferebant eminus,*  
*Audent, sed est vigilante qui notat hæc oculo,*  
*Quiq; omnia est, & præter omnia est D E U S;*  
*Hic laneos pedes, sed plumbeas manus*  
*Ostendet istiusmodi dicaculis.*  
*Mala cogitata pessimè tandem cadent;*  
*Retorta toxiten ferire sepius*  
*Tela assolent, nihilq; inultum permanet.*  
Nos lugeamus Christianos ut decet  
Et nos docet scriptura, fata tristia  
Hujus Dicastæ Maximi, ter optimi.  
Et exigamus mente, quæ futura sint,  
Et quid velit JEHOVA, pensans funera è  
Primoribus. Veramq; poenitentiam  
Agamus, accensus furore præcipes  
Nos det *Jehovæ*, sed remittat debita:  
Tam gratulemur mortuo tam prosperam  
Mutationem, pro caducâ vividam  
Vitam tuetur, quæ vel est vivissima,  
Et intuetur quæ peribat Numina  
Et subsilit, cantatq; plaudens jubila.  
Precemur ossibus quietem, posteris  
Patientiam, ne murmurent, nec Numinis

L

Velle

Velle improbent, Tum quamlibet velut ultimam  
Habeamus horam, qualibet mors imminet.  
Quid cras futurum vel quid Hesperus vehat  
Quis scit? Salutis quisquis appetentior  
In crastinum non differas, sed dum datur  
Sit pœnitens, ne præda fiat Tartaro.  
Christianitatis summa: nosse Numina,  
Et Christianè posse vitâ cedere.

## Joachimus Pomarius.









La 626m

ULB Halle  
004 958 365

3



f

VD 77

100





JOH  
 D A  
 Se  
 JURE  
 G  
 DE  
*antore*  
 die  
 M  
 Typis A N

